

prorumpimus quanto possumus maximo, inter usurpationes victis ac victoribus graves, quid fuisse credis, Domine Illustrissime, quod charissimam conjugem tuam, Principem beatissimam, ad vivendum amplius alligere potuisset? An vita ipsa? ut scilicet casus simul ejus & molestias morborum, ac quicquid nullis divitiis, virtute nullâ ac artibus effugimus, diutius experiretur. Malè Mæcenas:


*Vita si super est, bene est:  
Hanc mihi, vel acutam,  
Si das, sustineo crucem.*

Malè Domitius Tullus, qui cum vi morbi omnibus membris extortus & fractus, ne in lectulo quidem nisi manu alienâ moveretur, ac digitos servorum suorum, ut ajebat ipse, quotidie lingeret, causas tamen, cur vivere vellet, inveniebat. At nec felicissimis vita s'vavis est, nec probissimis innoxia. An verò tu tuiq; si hoc in potestate nostrâ situm esset, detinere ipsam debuissetis? Scimus excessu illam suo orbitatem tibi & curas reliquisse gravissimas: Scimus liberis dulcissimis, illi floripatriæ, morum ac virtutis unicum exemplar, & plus quam matrem ereptam esse: Sed nec optare, pro amore erga illam tuo, voluisses, puto, ut ad luctum & gemitum relicta, tibi hoc faceret quod tu illi; nec pupilli esse putandi sunt, quibus & talis pater est, & memoria maternarum virtutum ac amplissimi generis sui, quantum in ætatem hanc cadit, incentivum semper erit efficacissimum.

Ipsa verò depositâ hac animi veste, debilitates, luctus, valetudinem & quicquid nos torquet ac inflat, semel evasit, viamq; hanc, quam nobis quoq; serius vel ocius ingrediendum est, magna cum laude præfentiq; animo confecit. Vivit eo loci, ubi cum venerit illa dies, quæ te illi, & tibi eam restituet, tantò tibi charior, quanto notior erit: ubi, non ut Arcas ille sperabat, ex Philosophis Pythagoram, ex Historicis Hecataeum, ex Musicis Olympum, ex Poëtis Homerum, sed summum illud bonum, cui seriâ se pœnitentia fideq; tradidit, quod visu clarius, tactu purius, sensibus majus est, aspicit, comprehendit, æstimat: quæ felicitas cum cogitationes ipsas excedat, sermone & coloribus verborum nequicquam exprimeretur. Tu verò, Domine Illustrissime, cui sortem deinceps lætiorem, ac domi militiæq; successus tantâ virtute dignos, patriæ ac reipublicæ bono, votis omnibus optamus, amisæ charitatem ita extendes, ut ad veri amoris tui argumentum, & memoriam perpetui nominis ejus nihil quidem reliquum fecisse, non tamen & de magnitudine tuâ ac firmitate animi remississe videaris, quâ & fortunam utramq; & hostes, & quicquid invictis mentibus objicitur, ferre semper ac vincere consuevisti.

*Inscriptio monumenti cujusdam Romæ.*

DIIS MANIBUS SACRUM  
M. ARCUTIUS SALUTARIS FECIT SIBI  
ET TERTULLÆ CONJUGI SUÆ.  
BENE VALEAS RELIGIOSE QUI HOC LEGIS  
BENE SIT FILIIS FILIABUS MEIS QUI ME BENE COLUERUNT.



# PANEGYRICUS

*Per illustri Generosissimoq; Domino,*

## DN. OTTONIL. B. A NOSTITZ,

in Rockitnitz, Seifersdorf, Mangschütz, & Hertzogsvvaldau,

Sac. Cæs. Regiæq; Hungariæ Bohemiæque  
Majestati

## FERDINANDO IV.

A CONSILIIS,

& Plenipotentis Ducatum Schvvidnicensis & Javorensis  
PRÆFECTO,

*De novâ Præfecturæ Spartâ hac ornandâ,  
scriptus & dicatus*


A  
NOSTITIANI NOMINIS

*Devotissimo Cultore*

CHRISTOPH. COLERO.

VRATISLAVIÆ,

*Typis Baumannianis exprimebat*  
GOTTFRID GRÜNDER.



*Perillustris, & Generosissime Domine,  
Domine Clementissime,*



U Epidum & concinum est cuius-  
dam fabulatoris de Eunomio, ce-  
lebri olim quodam apud Græcos  
Citharædo, commentum; quod  
ut jucundum auribus, ita & oble-  
ctabile animis, Photius Patriar-  
cha Constantinopolitanus, in plusquam aureo  
variorum Collectaneorum Opere, sive potius  
vero Ceimeliorum thesauro, inter alia speciosa  
& preciosa ingeniorum veterum, monumen-  
ta, seræ tot seculorum posteritati reservatum re-  
liquit. Memorat enim laboriosus ille Miscella-  
neæ Bibliothecæ Congestor & Digestor, in Fidi-  
cinis illius non contemnendi lyrâ, canoram  
quandam cicadam, non sine auspicato quodam  
augurio, & omine confedissee, & quantum potu-  
isset, minurienti vocolâ, dulcissimos vocalium  
fidium concentus imitando expressisse. Simile  
quiddam, dum Illustrissimi & Celsissimi Uni-  
versæ Silesiæ Principes & Proceres; ac præci-  
puè Illustres, Generosi, & Nobilissimi, gemino-  
rum Ducatum Schvidniciensis & Javorensis

A 2

Ordines

Ordines, totq; eminentes Patriæ communis Senatores & Consultores, cum universo populo, de oblata supremæ ibidem Præfecturæ Spartæ, Tibi certatim in ipsâ Auspicali & Inaugurali Solemnitate congratulati fuerunt; & nonnulli Poëtæ ingeniosissimi, vel sublimi heroici spiritûs tubâ, vel blandissimo citharæ lusu applauserunt; mihi accidisse, non in somnis à Mercurio quasi, Deorum nuncio & interprete dubiè admonitus fabulor; sed famâ, veracissima rei ipsius nunciâ confirmatus, palàm pronuncio & proclamo. Nam, licet ego mihi optimè conscius, tam exili ingenii afflatu, tam tenui artis Oratoriæ apparatus & ornatu, tamq; exiguo usûs & exercitationis habitu, in tam sublimi, & non nisi summis Oratoribus tentando dicendi genere, ne mediocriter quidem me instructum esse sentiam; tamen instar Cicadæ Eunomicæ tinnientis & minurientis, tam suaviter cantilantibus illis Musarum lusciniis, & vocalissimis Phœbi cygnis, inconditâ quidem & raucâ voce obstrepens, sed animo in Te, Magne Mecœnas, humili & devoto plenus, observantiam meam & cultum testificaturus, FELICITER illud acclamare, quàm planè silere malui. Nec hanc nimiam confidentiæ notam, vel merum potius temeritatis & audaciæ crimen incurrerem, nisi Te Musarum & Gratiarum manibus factum, tanquam verum Musagetam, omnibus bonis & doctis, pro rarâ, & paucis tuæ dignationis viris usitatâ, humanitate & affabilitate, obvium & expositum

expositum esse, non tam ex aliis rescivissem, quàm oculis meis, tum antehac, cum Vratislaviensi Ducatui præses, tum nuper maximè, cum Illustribus & Nobilissimis Convivis, me quasi umbram accumbere jussisti, usurpassem. Ex quo me quasi Deorum mensis adhibitum, non nisi meram ambrosiam, merum nectar libare; atq; insuper, ne quid dissimulem, inter Heroas & Semonas illos, Convivas, tot Socraticos Sermones, cœlestia animi pabula, quæ Platonica instar Cœnæ, non postridiè tantum, sed indies inter recordandum delicatè sapiunt, sumere putabam. Omnia enim alloquia tua, manifesta & evidentia erant, humanitatis tuæ singularis in me interpretamenta, omnes libationes, vivida invitamenta erant. Sed neq; præcedentis hisce allecamentis, seu irritamentis adductus fuisssem, ut contra decorum, quiddam imprudenter, nedicam impudenter, committerem, nisi *Nobilissimus, Strenuus, Amplissimûq; Vir,* HENRICUS POSERUS, celeberrimus Equestris Ordinis in Schvvidniciensi & Javorense Ducatibus domi & foris Confus, & sapientipotens Mercurius, Patronus meus magnus, serius mihi auctor & suasor exstitisset, ut tuæ Virtuti illustri, & recens-oblato Honori, quoddam victurum (ut ipse interpretabatur) ingenii monumentum pangerem, & statuam quandam Perennitatis erigerem. Jacta itaq; esto alea, & ut jactus canis ceciderit, iudice Te tamen æquisimo, vel instar Veneris erit faustus

faustus & felix. Quod si tuæ æquitatis & benignitatis ( ut non tam spero, quàm insolitæ benevolentia documentis confirmatus confido ) compos factus fuero, non morabor superciliosæ frontis Censores & Aristarchos, qui omnia aliena magis carpere, quàm exactè censere nòrunt. Quemadmodum enim olim Thebanus ille Tibicen, cùm de coronâ coram imperitis censoribus aut arbitris contenderet, cantum suum non ad tumultuarios vulgaris theatri applausus flexit, sed decenti concinnæ Harmoniæ concentu, morem præscriptis Musicæ artis legibus & regulis gerens, liberè & animosè exclamavit: CANO MIHI ET MUSIS: ita ego in theatro iudicii publici expositus palam pronuncio; me non auribus vulgi, sed Tibi, *magne Musageta*, & tanquam Musarum alumnus genio meo, hæc adgustum & saporem tantum promerere. Etsi verò mihi diu mecum deliberanti & titubanti, aliquid audendi demum fixa stet sententia: tamen ipse adhuc, quasi in Herculis Bivio constitutus, anceps hæreo, quò in vastissimo hoc materiæ copiosissimæ æquore ingrediendum, quà progrediendum, & unde egrediendum sit? Quid primo, quid secundo, quid tertio, & succedaneis locis ac sedibus, rerum & verborum sit collocandum? Ac cum nulli tam clarum & potens, sine adminiculò fortunæ, statim sit ingenium, ut se possit exserere, nisi illi materia, occasio, fautor commendatorq; contigerit, ex animo mihi gratulor, quòd talis & tanta

tanta materies obtigerit, quæ etiam eloquentissimos Oratorum defatigare possit. Itaq; studio placendi, mihi nunc non tam copia & ubertas, quàm modus disserendi quærendus & appetendus est. Occasio verò ejusmodi gratulandi oblata est, ut in publicâ hac Procerum, Ordinum, & universi Populi lætitiâ, omninò filere, mihi sit religio, sit piaculum. Tantus deniq; fautor & Patronus mihi occurrit, quantus ingeniis Romanis Meccenas, tantus etiam Commendator, qui, ut Romanus ille Virgilium, Horatium, Principes Latinorum Poëtarum, Divo Augusto, Principum Principi; ita tu, *Illustris Domine*, ingenia nostri ævi, nostro Austriaco, Pacis Principi, ejusq; Augustali Filio Primogenito, Sperato & designato Optioni illius, FERDINANDIS III. & IV. Maximis Optimisq; Principibus, ac Ordinibus Universæ Silesiæ, & commendare & insinuare, de optimâ notâ & formâ, ut potes, ita soles. Atq; ut, missis præfandi delinimentis aut lenociniis, ipsum caput & summam rei attingam; primum mihi de Auspicali & Inaugurali tuâ Schvvidnicii celebratâ celebritate, & publicâ Procerum Hilaritate: dein de causis communis hujus Gaudii, futurâ nimirum Patriæ felicitate: mox de Virtute & Fortunâ Familiæ Nostitianæ: porrò de propriis tanti Candidati virtutibus, & meritis; dicenda veniunt. Quæ omnia cum votivis precibus pro incolumitate, & felici administrationis tantæ successu finienda sunt.

Post.

Postquam Serenissimus Rex FERDINANDUS IV. ab indulgentissimo Patre suo FERDINANDO III. Imperatore Gloriosissimo, in signum plusquam paterni affectus, gemellos (quos & ipse hic olim privatus adhuc à Divo Genitore suo FERDINANDO II. Pragloriosissimo indultos rexerat) ac per tot annos indivulsos Ducatus, SCHWIDNICENSEM ET JAVORENSEM, benignè oblatos, jure meritissimo reverenter accepit, eosq; clementer & moderatè regendos suscepit, exemplo avito & paterno admonitus, primam omnium curam habuit, quomodo, ex tenore Privilegiorum Provincialium, dignum natalibus, virtutumq; meritis, Indigenam præficeret, re diu pensiculatè deliberatà, neminem divino suo judicio digniorem, quàm digito quasi sapientissimi Patris sui olim monstratum, ac universæ Patriæ, præcipuè Ducatum illorum votis expetitum Te, *Per-Illustres Domine OTTO NOSTITZI*, in Candidatorum numero invenit, inventumq; Ordinibus, legitimo & solemni more modoq; commendandum, insinuandum & inaugurandum, in publicâ Panegyri proposuit, summumq; Præfectum cum universorum & singulorum applausu constituit. Quamobrem cum certa inaugurandi dies prælitura esset, Nonæ Martiæ, nomine & auctoritate Serenissimi Regis Te ad solemniter inaugurandum, *Per-Illustres & Generosissimi Domini Regii Commisarii*, gnarisissimi rerum & hominum, Comes

Comes de SBUBNA, Glacensi Comitatu Præfectus, & EGNUNDUS A GÖTEN, Summus Regiæ Majestatis Hungariæ & Bohemiæ, ex prædiis Cameralibus Redituum Director, ut & Assessor Glacensis Regiæ Curiae, adventare jussi Schvvidnicium, caput urbium in illis Ducatibus, humeris quasi universi populi & civium urbanorum suppositis, importarunt. Te itaq; à Regiis Duumviris Commisariis istis adductum, obviam profecti tot Procures Ecclesiastici & Politici Ordinis, & Civitatum Delegati, in via Regia ad Primum Lapidem ab urbe, tripudiantes & gratulantes exceperunt, exceptumq; cum honorificâ festivæ acclamationis prætatione, in assignatum hospitium, pro Conditione temporum apparatus, subsequi submissè rogarunt. Ac flos illibatus Equestris Ordinis in hoc Silesiæ tractu, & Suadæ medulla, Hermes interpretis universorum & singulorum votorum & desideriorum, HENRICUS POSERUS, in hunc sensum adventantem allocutus est.

Quod felix, faustum, fortunatumq; sit Sacra Regiæ Majestati, Tibi, *Magne Ejusdem Togatorum Minister*, ac geminis Schvvidniciensi & Javorensi, Ducatibus sociis, ac quasi fraterno sanguine, amore & fide conglutinatis, tuus adspectus illis instar coeli sereni, & nitentis est. A cujus radiis, omnia, quæ hætenus per decumanas civilium bellorum tempestates, collapsa, squalida,

B

ægra,

„ægra, & quasi mortua fuerunt, revirescere  
 „& reviviscere videntur. Tuus inquam vul-  
 „tus amabilis, est illis instar novi & incipientis  
 „veris, à quo exanimata prius hiemis quasi  
 „squalore, spiritum & sanguinem recipiunt.  
 „Quemadmodum recens-exortus Sol ille Au-  
 „striacus & Augustus, quem vel Solduriorum  
 „lege devotissimi adoramus, corpus horum  
 „Ducatum publicum adeò nuper illustravit,  
 „& nimbos ac tempestates priorum temporum,  
 „illustrissimo Serenitatis suæ splendore discus-  
 „sit & dissipavit: ita Tu, Magni Regis, *Magne*  
 „*Togatorum Minister*, accepti à Sole illo beni-  
 „gnissimo luminis, radios clementiæ & benigni-  
 „tatis Regiæ, largiter in universos tuæ fidei  
 „commisos spargis; & instar Lunæ aspera le-  
 „nis, acerba mitigas, lapsa erigis, & nutantia ac  
 „titubantia suffulcis & roboras. Maçte itaq;  
 „hac cœlesti & divinâ, ac Magnatibus conve-  
 „nientissimâ hac virtute! Siquidem nullâ re  
 „propiùs ad DEUM accedis, quàm salute ci-  
 „vibus, in quorum patriâ & sinu natus & edu-  
 „catus es, dandâ.

„ *Hæc summa Virtus, petitur hæc cœlum viâ!*

Cum verò Urbis mœnibus propiùs ab-  
 fueris, ecce *Delegati* etiam à *Senatu Urbano* Te  
 debitâ submissione & observantiâ excipiunt,  
 ac suam mentem devotam, disertissimo Ne-  
 storis sui ore, ita interpretati sunt. *Illustrissi-*  
 „*me Domine*; sicut illustrissimum & calidissimum  
 omnium

omnium Siderum Sol, moderator & dux tem-  
 porum, ac mens & anima Mundi, universum,  
 terrarum orbem & suis radiis illustrat, & calore,  
 suo calefacit, ac reficit: ita tuus ab Austriaco,  
 illo & Augusto Sole irradiatus & serenatus aspe-  
 ctus, recenti beatissimi restauratâ Pace seculi,  
 exortu, hanc urbem nostram, tot pridem obli-  
 dionibus, hostilibus insultibus, & possessioni-  
 bus, attritam & laceram, & tantum non in cine-  
 res redactam, insigniter illustrat & refocillat.  
 Jam enim signum Bonæ Spei attollimus, &  
 ipsius voti fiduciam sentimus, quòd jam redu-  
 ctò saluberrimæ Pacis beneficio, perculsæ, pro-  
 tritæ, prostratæ & dirutæ res, sacræ & profanæ,  
 publicæ & privatæ, Salutares leges, cum bonis,  
 moribus ac virtutibus, quasi è cineribus & rude-  
 ribus, te interveniente & tam efficaciter coope-  
 rante, resurgant, reviviscant, & reflorescant.  
 Ut Sol æquè pauperibus ac divitibus quotidie,  
 lucere solet: ita Tu Optimi Principis bone,  
 Præfecte, qualem Te fama publica, quæ rarò,  
 errat, prædicat, cuilibet nostrum, cuius fortis &  
 conditionis erit, sine respectu personæ, justi-  
 tiam justo æquilibrio administrabis, eamque le-  
 nitatis ac clementiæ temperamento moderabe-  
 ris. Quemadmodum verò Luna omne suum,  
 lumen Soli debet soli & uni: ita Tu instar Lunæ,  
 omne gloriæ lumen, primariò quidem Soli tuo,  
 Austriaco refundis, sed & radiis Regiæ clemen-  
 tiæ largiter aspersus, nos quoq; indigos caloris,  
 ejusmodi & refocillamenti participes facies.

“Ut Sol ceram eliquare, contra lutum & limum  
“indurare solet: ita Tu subjectis & morigeris te  
“benignum, immorigeris & refractariis Te seve-  
“rum & asperum exhibebis. Ut Sol non tam  
“alta montium juga, quàm etiam declivia &  
“dejecta convallium, splendere suo & ca-  
“lore, illustrare & recreare non dedignatur:  
“ita Tu quoq; hanc Urbem, facie adhuc de-  
“formem & squalidam, civilem & humilem  
“domum, non arcem aliquam editam, ac pro-  
“nissimos animos nostros hospitio tibi præpa-  
“ratos, abjectos quidem, sed devotos, pro an-  
“tiquâ tuâ humanitate, comitate, & affabilitate,  
“non despicias; probè Tibi conscius, quod non  
“dominus aut hospes à domo, aut hospitio, sed  
“domus à Domino, hospitium ab Hospite tanto  
“ornetur, illustretur. Notum tibi est, quòd etiam  
“magni Cæsares, Reges, & Principes in tuguriis  
“& casis hospitati, domi natis, inemtis & horten-  
“sibus frugibus contenti, frugaliter epulati sint,  
“ac in sinu & gremio suorum subditorum dor-  
“mierint, & tutò ac securè quieverint. O quàm  
“omnibus exspectatus, desideratus, exoptatus  
“dies, Nonarum Martii illuxit, cum tu Schvvid-  
“nicium, primam Ducatum & principem ur-  
“bem, diu tenebris calamitatum tam spissis pœ-  
“nè obrutam, nunc tuo lato aspectu, & quasi  
“verno Sole relectam, & verè redivivam, more  
“antiquitus recepto ad inaugurandum ingressus  
“es! Hoc tuo ingressu & intuitu, non modò ij,  
quibus DEUS & Natura sensum & rationem  
dedit

dedit, sed etiam ipsius Urbis mœnia, prioribus  
annis non uno fulmine tacta & percussa, & tecta  
non uno lapidoso grandine collisa & prostrata,  
ac turris illa præalta & invidenda, publicæ lati-  
tiæ signa edidisse, visa sunt. Ubi per portam  
humeris quasi Procerum & Populi importatus  
es, laborantes despectantibus Te domuum fe-  
nestras, oppletas undiq; convolitantis plebis  
concursum vias ac publicas plateas, ac gaudium  
suum antiquâ lætitiæ formulâ, FELICITER,  
FELICITER, ingeminantis, & testificantis,  
spectasti. Vix atas quēquam gravior & im-  
becillior, vix afflicta valetudo, neq; sexus domi  
continuit, quò minùs oculos insolito hoc pu-  
blicæ Hilaritatis spectaculo impleret. Vidisti  
vias floribus tectas, portas fertis & lemniscis  
ornatas, ac Hospitam Domum variis frondium  
& plantarum ornamentis coronatam enitescere:  
ac in Te, pluviae quasi ritu, primæva Veris  
munera, narcissos, hyacinthos, violas, & alia  
miscella florum genera, plenis calathis, proiici.  
Ut enim post diuturnam hiemis asperitatem,  
& cœli inclementiam, grata est verna solis &  
soli serenitas & clementia: ita quoq; tua, quasi  
benigna novi veris, facies omnibus arrisit. Nam  
priorum annorum sævitiâ dominante & gras-  
sante, non nisi cum Procerum pariter & Ci-  
vium fletu & gemitu, superbi illi ab Aquilone  
Victores & Triumphatores Urbem ingressi, nil  
nisi horrorem communem, atroces minas, im-  
manitatem, intolerabiles exactiones, ac alia  
B 3 innumera

innumera mala, quæ belli insolentia adferre so-  
let, importabant. Ad Te autem universi & singu-  
li, tanquam ad clarum & beneficum sidus cer-  
tatim advolant, quibus omnibus signum bonæ  
Spei sustulisti. Publici verò & tanti hujus gau-  
dii & plausus, origo & radix inde dependet,  
quòd Proceribus pariter & omni Populo, omni  
ætati, omni sexui, omni censui, nunc demùm,  
post tot vota & suspiria, optima rerum omnium,  
quas novisse homini divinitus datum, innume-  
ris potior triumphis, plusquam aurea Pax, ut  
Imperio, Germaniæ, ita universæ Silesiæ nostræ  
affulsi, nec spem modò & votum Securitas illa  
publica, sed ipsius spei & voti fiduciam ac ro-  
bur, magis magisque per intervalla & spiramenta  
temporum assumat; adeò ut dulcissimi deside-  
ratissimæ Pacis fructus cumulatiùs sese nobis  
effundant. Quanquam naturâ infirmitatis hu-  
manæ, tardiora sint remedia, quàm corrupta  
morborum genera; & ut corpora lentius au-  
gescunt, & citò decrescunt, deficiunt, ac ex-  
stinguuntur: ita lentius renovari & restaurari  
videmus omnia, quæ diuturno bello collapsa  
& prostrata jacent. Dedimus enim ultra tri-  
ginta annos, grande profectò mortalis ævi spa-  
tium, insigne Christianæ Constantiæ & Patien-  
tiæ documentum, inferendis & sustinendis tot  
tanti belli decumanis calamitatibus, dùm cum  
jactura sanguinis, bonorum & facultatum di-  
spendio, multi fortuitis casibus, aut violentâ  
belli aleâ interciderunt, & pauci non modò  
aliorum

aliorum, sed & sui superstites sunt, exemptis è  
medio vitæ curriculo tot annis, quibus juvenes  
ad senectutis limen, & senes ad ipsos exactæ  
vitæ terminos, in silentio & inertia, aut inter ge-  
mitus & tristia suspiria, pervenerunt. Ac hæc  
ipsa funesta & fatalis belli tempestas, tuos lau-  
datissimos Antecessores aliquot, *Generosissime*  
*Domine*, non mediocriter tetigit & perculit.  
Nonne Nobilissimum & Juris divini humanique;  
callentissimum senem, CASPARUM  
WARNSDORFIUM, funestum illud bel-  
li Bohemici incendium initio corripuit? Non-  
ne Illustrem & Generosum HENRICUM  
BIBRANUM, intemperantes illæ ejusdem  
incendii flammæ, per irruptiones Danicas &  
Mansfeldicas afflixere? Nonne ante omnes  
alios priores, omne belli fulmen & grando in  
verè Illustrem Heroem LUDOVICUM  
STAREMBERGIUM, proximum Præ-  
decessores Tuos, tanto cum fortunæ nover-  
cantis insultu, tanto cum impetu, tanto cum  
fragore detonuit, ut non tantum sede suâ ali-  
quoties deturbatus, in munitiora & tutiora  
loca, extra commissas sibi Dioceses, sese  
non semel recipere coactus fuerit; sed etiam  
hostiles manus & vincula, sævo hoc Martis lu-  
do satis exercitus & vexatus, effugere non po-  
tuerit, ac ingenti lytro, cum suo ac Ducatus  
magno dispendio, redimendus fuerit? Hic,  
cum jam pactâ & factâ pace, instar nautarum,

quando

— — quando ex alto procul  
Terram conspiciunt,  
ex animi mente, Deus bone! quantum læta-  
tus, cum jam fructus pacis, securitatem publi-  
cam & tranquillitatem, bonâ fide exspectaret,  
inter salutare restaurandæ & componendæ  
Reipublicæ curas & cogitationes, subitanæ  
eheu! morte præreptus, occubuit; ac mori-  
turus, relictis post se justitiæ moderationisq; in  
æquilibrio exercitarum civilium virtutum,  
monumentis, & victuris in famâ rerum, Pro-  
cerum & Populi ore & corde testimoniis, lam-  
padem digno Successori capessendam reliquit.  
Ac sanè Beatus ille talem invenit, qualem vi-  
vus adhuc & moriens optavit & desideravit,  
parem sibi, aut etiam temporum meliorum in-  
terventu meliorem & majorem. Sub STA-  
REMBERGIO, obstantibus malis publicis,  
Jus & Æquum non æquabili semper lance li-  
bratum, nutavit & titubavit: sub NOSTITIO  
verò, remotis illis obstaculis, & reſeratis, antea  
obſeratis obicibus, ac ruptis claustris, jam ju-  
ſtitia & æquitatis cursus liber & expeditus erit.  
Sub STAREMBERGIO inter arma leges  
ſilebant, boni mores vileſcebant, decora vir-  
tutes, & bonæ pacis artes deliteſcebant: Sub  
NOSTITIO, in altâ pace, ſalutares leges  
pridem lingves, nunc exerta loquentur, boni  
mores redibunt, ingenia & ſtudia in patriam  
revocata, reviviſcent, & reſtoreſcent. Summa-  
tim, ſub STAREMBERGIO, in comuni  
illo

illo rerum naufragio facies Reip. erat ſqualida,  
lacerâ, rugis exarata & langvida, inſtar pannis  
annisq; obſita aniculâ: ſub NOSTITIO  
hâc temporum ſerenitate, facies, inſtar elegan-  
tiſſimæ & formoſiſſimæ Virginis, nova, ſcita,  
ſerena, ridens & florentiſſima eſſe incipit.  
Quemadmodum enim Sol exorienz ſpiſſas ob-  
ſcuræ noctis tenebras diſcutit, ac ſudum cœlum  
nubes atraſ diſſipat: ita quoq; reliqua prio-  
rum temporum mala & nubila, ſerena novi  
Præfecti, & Tua, efficaci in rebus tûm reſturan-  
dis, tûm conſervandis præſentia ciſpellit. Quò  
igitur major erat luſtus & dolor univerſorum  
& ſingulorum, ſuper amiſſo Illuſtri STAREM-  
BERGIO, Præfecto laudabili, ac ideo deſide-  
rabili: eò majus eſt gaudium, major applauſus il-  
lorum eorumdem de Te, *Illuſtris* NOSTITI, pari  
aut meliore, cum judicio inter Candidatos alios  
quæſito, reperto, electo. Sicut maritimi homi-  
nes & nautæ admodum conſternati ſunt, ſi ſe  
bono & perito Gubernatore orbatos eſſe vi-  
dent; ſed ij inſuper bene ſperare, immò con-  
fidere incipiunt, cum ſimilem, vel peritiorem  
priori Optionem ſuccenturiatum eſſe nôrunt:  
ita quoq; Proceres & Populus initiò crudâ mor-  
te prioris Præfecti non mediocriter percuſſi;  
nunc verò nacti tantum Succesſorem ſibi gra-  
tulati ſunt. Quapropter illi omnes & divina  
Providentiæ, & ſummæ Cæſaris Auguſti FER-  
DINANDI III. ſapientiæ, ac pronæ Sereniſſi-  
mi Regis FERDINANDI IV. benignitati,  
C  
quas

quas quidem animo concipere, & ore prolo-  
qui possunt, gratias agunt, quod Cœlestis ille  
Rex Regum, & Dominus Dominorum, & Ter-  
reni illi Joves ac Dii, ut universi Imperii Roma-  
ni, & universæ Germaniæ; ita & Silesiæ, ac no-  
minatim Ducatum horum meritissimo Præ-  
fecto orbatorum, tantâ tanguntur curâ & sollici-  
tudine plusquàm paternâ, ut Optimo illi, Pa-  
triæ Præsidi, è statione terrenâ in cœlestem pa-  
triam avvocato, Oprimus illiq; simillimum Te,  
**OTTO NOSTITI**, subrogare voluerint. Sciunt enim illi Optimi Maximi Principes &  
Parentes Publici, in sibi subditorum, tanquam  
liberorum, suæ utilitati & gloriæ tutandæ nato-  
rum, curam paternam unice incumbere, ut  
eos ingenuè, liberaliter, moderatèq; & per se, &  
per Ministros suos similis indolis & genii homi-  
nes, regant, dirigant, habeant, administrent.  
Sciunt etiam illi Tutelares & Præstitites Dii, Di-  
vam illam Palladis sobolem, quam Pruden-  
tiam nuncupamus, plurimùm ad Imperiorum  
& Regnorum negotia dirigenda & admini-  
stranda facere: quod sine ea directrice, nulla  
sit Imperii, nulla Reip. forma & facies. Ut enim  
nullus Gubernator navim sine ferro, quod affri-  
cuit Siderites, dirigit: ita nemo Reip. statum si-  
ne mente, quam Diva illa sapientipotens affla-  
vit. Cum igitur Augusta Domus Austriaca, cœ-  
litus regendo terrarum Orbis donata, diuturno  
& per tot secula exercito, nunc familiari usu, &  
tot propriis experimentis didicerit, Principem  
suâ

suâ solùm, licet summâ, scientiâ gubernatoriâ  
non posse cuncta complecti; & magna pacis  
belliq; negotia magnis adminiculis & subsidiis  
egere; id circò magnis adjutoribus ad sustentan-  
dam virtutem & Fortunam suam, semper usa  
fuit, qui Cæsarum, Regum, & Principum oculi,  
aures, ora, manus, mentes essent. Quamobrem  
egregium rectoriæ suæ Prudentiæ tirocinium,  
maximæ Spei & expectationis Princeps **FER-**  
**DINANDUS IV.** posuit, quod Majorum  
suorum exempla intuitus, avita & paterna ve-  
stigia insecutus, præcipuum in concessâ sibi à  
Patre Augustissimo portione ditionum harum  
cum aliis usu fructuariâ, præcipuum opus boni  
Principis esse censeat, (cùm, oraculo Corne-  
liano, *nullum majus sit boni Imperii instrumentum, im-*  
*mò etiam ornamentum*) aptos & idoneos ami-  
cos & ministros quærere, & cum judicio eli-  
gere: qui rerum hominumq; periti, maturi  
ætate & consilio, cum modo acuti, variâ expe-  
rientiâ exerciti & probati, liberi oris & senten-  
tiæ, constantes, modesti, atq; fideles arcanorum  
custodes sint. Cum autem dignus, aptus &  
idoneus Præfectus, aut Præses Ducatum,  
quem vulgò à tot Capitibus regendis & reti-  
nendis Capitaneum vocant, Regio nomine, &  
ex datâ potestate imperaturus omnibus, ex  
omnibus Equestris Ordinis eligendus sit; &  
quidem tenore Privilegiorum Provincialium,  
*qui non sit advena, sed indigena, legum, morum animorumq;*  
*provinciæ, Ducatumq; singulorum gnarus & prudens;*  
C 2 Rex

Rex Clementissimus votis & desideriis, tam Procerum, quam Universi Populi, benignissime annuere & gratificari voluit. Eapropter Princeps ille Juventutis Imperialis, mento quidem adhuc investis, sed mente satis vesticeps, & propè cānus, (capax tamen ætatis ejus, quæ puberes ad Recturas Imperiales & Regias, ac Electuras Sacri Imperii Romano-Germanici, omni jure & more antiquitus recepto admittit,) nativo judicio ratus, meliores esse eos, qui longâ majorum serie ex melioribus oriundi, Te, Domine, ex Illustri & Generosissimo, ac per tot secula, per regna & provincias diffuso & celebrato genere, tot insignium pacis & belli artibus Herōum & Semonum sanguine ortum, tot aliis propositis Competitoribus prætulit. Ut, si fontis perenniflui vena vitalis pura puta est, & rivuli plerumq; inde promanantes tales judicantur: ita quoq; posterī & serinepotes ad illustrium majorum virtutem & gloriam collineare & collimare existimantur. Tiberius Cæsar, incomparabilis ille simulandi & dissimulandi artifex, in plerâq; gubernatione prudens, hoc quoq; servabat, ut, referente prudentissimo Annalium Scriptore, *mandaret honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiæ, illustres domi artes spectando; ut satis constaret, non alios potiores fuisse.* Hunc laudabilem Tiberii morem, Vespasianus, illo alioqui longè melior Princeps, sed in hoc deterior, quòd, memorante eodem Prudentiæ filio, *multos præfecturis & procurationibus, plerosq; Senatorii*

3  
*Senatorii Ordinis honore percoluerit, egregios viros, & mox summa adeptos; quibusdam tamen fortuna pro virtutibus fuerit.* Meliore autem judicio & consilio Serenissimus Rex noster, exemplo & aliorum Imperatorum, Regum, & Principum, & ipsorum Austriacorum, Majorum suorum inclitissimorum incitatus, NOSTITIANÆ Gentis, ut antiquissimæ & nobilissimæ, ita & meritissimæ, rationem habuit; ex quâ tot bellatores fortissimi, tot Consultores in Aulis domesticis & exteris prudentissimi; atq; eorum pleriq; in alterutro belli aut pacis negotio, nonnulli etiam in utroq; genere, clari & magni enituerunt; quorum facinora immortalia, incorrupta Scriptorum fides, in memoriâ omnium seculorum, & famâ rerum, constanter celebrat & conservat. Patere itaq; *Indulgentissime Heros*, ut ex ramosissimâ & frondosissimâ populosisimâ Stirpis NOSTITIANÆ Arbore, nonnisi insigniores & selectiores ramos, frondes, & surculos decerptos, oculis tuis in oblectamentum haud dubiè, depromam & proponam. Nam universos & singulos, quorum vittutes & laudes incuria incultioris seculi conticuit, sine meritis causâ producere, vix operæ precium fore ducis. Quanta autem sit difficultas, quanta ambiguitas & obscuritas, exactè vetustas familiarum origines eruere, ut exinde clarorum virorum imagines & propagines possint intelligi, Auctor Augusti ævi Cornelius Nepos purissimus, major omni exceptione testis est ipse; qui primi-

primigenias illustrium Romanarum stirpium  
Origines, diligenter & fideliter inquisitas illu-  
stravit & publicavit. Vix autem hodiè tanta  
nostræ ætati venia, quanta Gentili Antiquitati  
concessa, datur, ut miscendo humana divinis,  
fabulosa veris, primordia familiæ alicujus illu-  
striora reddamus. Ut itaq; à fonte ipso purius  
rivos deducamus; sciendum est, quòd familia  
NOSTITIORUM, inter nobiliores & cele-  
briores Germaniæ non ultima sit, quæ & varia-  
rum virtutum meritis, eminentium officio-  
rum, togatorum & sagatorum prærogativis, &  
indultis Immunitatibus & Privilegiis, Cæsarium,  
Regum & Principum, per intervalla tempo-  
rum, in summum fastigium asurrexit. Elo-  
giorum verò omnium, quæ in vetustis vario-  
rum Auctorum monumentis leguntur, singu-  
lare est hoc, quod quidam, Augustus Austria-  
cæ Domus Augustissimæ Scriptor prodidit in  
«hunc fermè sensum: Quod singulis ætatibus  
«Familia NOSTITIANA eximiæ pietatis, in-  
«comparabilis fortitudinis, summæq; sapientiæ,  
«atq; nativæ eloquentiæ, omniumq; ceterarum  
«virtutum viros præclaros & illustres præbuerit.  
«Summatim; nihil aliud hæc familia fuit, est, &  
«si Deo ita in posterum visum, posthac erit, belli  
«cosissimorum militum, magnanimorum viro-  
«rum, & Literatorum, Heroum & Semonum,  
«viridarium quoddam & seminarium. Præco-  
nes quidam hujus familiæ, ex domesticis  
Diariis & Annotatis se compertum habere  
præten-

prædunt, primam NOSTITIANI nominis  
& famæ Originem ( ut denominatio Latina  
*noscedo* derivari, ita barbara præcipuè ultima  
syllaba TITZ aut WITZ indicare videntur)  
Sorabiam & Vandalicam esse. Quæ gens bar-  
bara Vandalorum omnibus gentibus bello olim  
formidabilis, non tantum maximam Orbis  
Christiani partem, latrociniis & deprædationi-  
bus pervagata, ( unde & nomen nonnullis ab  
oberrando deduxisse videtur) sed etiam maxi-  
mis Orbis Monarchis, ab Imperatore Honorio  
circa A. C. CCCCVI. primùm cognita, multis  
ejus successoribus, multum negotii facescit;  
donec à Francis & Saxonibus barbari illi repres-  
si, & variis in locis dispersi & dissipati fuerint, ut  
manipulatim & gregatim regressi, potissimùm  
in oris Silesiæ, Lusatia, Magdeburgici territorii,  
Marchiæ Brandenburgicæ, Pomeraniæ, Me-  
chelburgi, Borussia, & Polonia, ad mare Bal-  
thicum sparsim & saltuatim sedes suas fixerint,  
& auspicia ac nomen Vandalicum acceperint.  
Unde extra omnem dubitationis aleam, ab  
annosâ præterlapsorum seculorum memoriâ,  
hæc NOSTITIANA Familia, rebus in togâ &  
sagò gestis inclaruit. Quanquam fortiter, pru-  
denter & decorè acta, penuriâ peritorum & fi-  
de dignorum Historicorum, describenda, Au-  
tore pari caruerunt; cum tamen multi NO-  
STITIORUM in Cœnobiis terræ mandati  
sint, ac eorum insignia more antiquitus rece-  
pto, in templis, delubris, ac facellis suspen-  
sa  
rerum

rerum gestarum certissima sint indicia. Alii tamen opinantur, nomen NOSTITIANÆ Familiae & originem præbuisse, prædium quoddam & secesum rusticum NÖES dictum: quorum rationes non requiro; sed Curionibus ac nimis Aculeonibus examinandas relinquo. Notabile in primis est bellacissimi Fratrum Comparis exemplum, quod inter Memorabilia Gentis hujus Nostitianæ Annotamenta deprehendi. Cum enim A.C. clō CXLVII. Imperator Conradus III. Svevus Bellum sacrum in Terram Sanctam, contra Saracenos, Turcas, & alios infideles suscepisset, cui expeditioni non per legatos interfuit, sed ipse auspicio, ductu & imperio militari præfuit; ac Ludovicus Francorum Rex, & Boleslaus, cognomento Crispus, Polonorum Dux, & hic primus itidem Silesiæ, atq; Boleslaus Bohemorum, Duces, in honorem Augusti Cæsaris, socii bellici Itineris essent, & omnium maximè potentissimus ille Sarmatiæ Monarcha, magno cum militum & militarium rerum apparatu sese associasset; atq; hic ipse inter alios multos Polonos, & Silesios Equestris Ordinis & dignitatis, suis subsidiariis copiis allectos haberet; inter eos duo etiam Familiae NOSTITIANÆ præcipui Martis pulli, ob res illic præclare gestas inclaruere; quibus Rex egregius, pro exantlatis militiae laboribus, & operâ fortiter & fideliter navatâ, præmia & brabèia memorabilia contulit; eosq; optimè meritos, quamdiu Duûm viri illi superstites

superstites fuere, in perpetuâ gratiâ habuit & fovit. Paris ejusdem bellatorum strenuorum alter, indulgentia fati notior fratre & clarior erat, FRIDERICUS NOSTITIUS in periculosissimo, cum hostibus ad Mæandrum Asiæ flumen commisso, prælio, tam strenuum & fortem se, inter Equites Polonos & Silesios gesit, ut tum non modò barbari hostes in turpem fugam acti fuerint, quàm etiam universus Silesiæ Equitatus, prærogativam & palmarium decus obtinuerit. Eâ de causâ fortissimus, & de Christiano exercitu meritisimus NOSTITIUS ille, postquam Conradus Imp. Hierosolymam, venerandam illam Christianæ pietatis & sanctitatis sedem, ingressus esset, cum aliis heroicis & benemeritis bellatoribus, digni loco præmii & honoris, solemni ritu *Eques Hierosolymitanus* creatus, nuncupatus & proclamatus est; qui post exactum quadriennii spatium, salvus & incolumis, cum paucis, quasi postliminiò, ad patrios Lares & Penates reversus est. Nec prætereundus est ille NOSTITIUS, qui procul dubio hujus gentis, (licet prænomen incuria Scriptoris sit omisum) qui longinquam, religionis avitæ & devotionis ergò, peregrinationem suscepit, ac multa pericula perpesus est; tandem tamen, Deo Auspice & Duce, post multos annos in patriam redux, apud Vladislaum Poloniæ Regem, in summo gratiæ & honoris loco stetit. Tunc verò, aut nunquam & nusquam

D

nusquam **NOSTITIANUM** nomen,  
eâ nimirum tempestate occupatissimâ, in-  
claruit, cum A. C. clō CLIX. *successor Divi Con-*  
*radi Imp. magni nominis Fridericus I. cognomento Abe-*  
*nobarbus*, vulgò à promissâ & prolixâ barbâ *Bar-*  
*barossa* dictus, maximo cum apparatu in Palæsti-  
nam iter susciperet, & inter alios ejus bellicæ ex-  
peditionis socios & Adjutores non postremus  
esset, *Conradus, Dux Silesiæ*; cui multi Inferioris  
Silesiæ indigenæ comites fuere, ac inter eos  
*Equites hi Silesii, Rechenbergii, Seidlitzii, Promnitzii,*  
*Schellenbergii*; quibus interfuit, imò quibus po-  
tius præfuit **ULRICUS NOSTITIUS**;  
qui Equites illos, ut Dux aut Magister Equi-  
tum, Principis sui adhuc adolescentioris  
nomine, duxit. Etsi verò tùm Christiani Oc-  
cidentales multum invidiæ & perfidiæ apud  
Impp. Orientales senserint, adeò ut magis  
ab iis impediti & repressti, quàm adjuti &  
promoti fuerint; tamen tùm temporis, vir-  
tute & fide Occidentalis Imperii, numero-  
sissimus Saracenorum, ex Cilicia & Armenia  
confluentium, exercitus fugatus, & occupa-  
tis nonnullis Insulis, res ut plurimum ex  
voto expeditæ fuere: nisi quod subito Opti-  
mi fortissimiq; Imperatoris excessu expe-  
ditio illa tandem irrita, & ad nihilum reda-  
cta reciderit. Alius temporum illorum  
Scriptor, qui hanc expeditionem luculen-  
tius tradit, inter alia memorat; quod  
Dux

Dux Silesiæ *Conradus* cum suo Silesiaco Equitatu  
strenuè rem gesserit, ut si Cæsar hujus belli  
eventui supervixisset, multum Duci illi gratiæ  
& honoris præstitisset, atq; universæ Equestres  
turmæ cum suo Præfecto **NOSTITHO** fructum  
non aspernabilem sensuri fuissent. Hujus vesti-  
gia secutum alium, alia bellandi contra infestos  
barbaros occasio, **STANISLAUM NOSTI-**  
**TIUM** prodidit. Cum enim sub **FRIDE-**  
**RICO II.** magnanimo Imp. & Rege Siciliæ,  
demum horribile & formidabile Tartarorum  
nomen, primum innotuerat, ac latrō ille gen-  
tium & terrarum prædō, vagabundus ille po-  
pulus, A. C. clō CCXL. Auspiciis & ductu  
Principis sui **HOCCATÆ**, triplici agmine  
divisus, inprimis Hungariam, Poloniam, Prus-  
siam, & Silesiam depopulatus, incredibilem &  
inauditam prius immanitatem exercuerat, se-  
xumq; præcipuè imbellem, nudum, criniumq;  
fascibus colligatum, tanquam gregem armen-  
torum & pecorum antè se egerat, casorum  
sangvinem invicem propinârat, infantes lan-  
cæis transfixos parietibus alliserat, templa, aras  
& sepulcra variis modis profanârat; **HENRI-**  
**CUS** ille, à serio pietatis ardore, & amore Pa-  
triæ **PIUS** cognominatus, **HEDWIGIS** Pe-  
renni-sanctæ illius Principis Matronæ tùm su-  
perstitis adhuc, Filius, **Dux Ligius**, hosti illi im-  
manissimo, collectis tumultuariis indigenarum  
pariter & alienigenarum copiis, sese opposuit.  
Princeps itaq; Patriæ, antequam cum hoste  
D2 congressus

congressus esset, Duces suos prius consuluit, quid in hoc rerum discrimine facto opus foret; an cum leviori Equitatu velitando trahendum esset bellum, & hostis paullatim atterendus, an verò urgendum esset bellum, & hosti instandum; ac cum plerique Ducum summam rei prælio committendam esse svaderent, ( Tartarorum videlicet esse nudas, attritas & famelicas turmas & catervas, & faciles victu ferro & famis necessitate futuras ) STANISLAUS NOSTITIUS, prudentior ceteris, divinus infelicis postea eventus Vates, contrarium svasit, ut levioribus desultoriisque velitationibus, hostis temeritatem & audaciam tutius prætentarent, quam totam belli aleam, uno prælio ancipiti terminandam jacerent. Svasit Optimus quidem Consultor, optimè; sed prævalentibus aliorum sententiis, non Principi suo Henrico rem persvasit. Si enim, inquit ille, in unâ acie Christiani vincerentur, tum non solum Pium Principem, cum omnibus suis copiis & civibus, in extremum prolapsurum esse periculum, sed etiam hostibus portas & aditus referari, in vicinos arma movendi & promovendi; satius igitur & consultius fore, si eorum fervidi impetus & acres insultus ulterius progrediendi reprimerentur, donec majoribus copiis & auxiliis suffulti, hostibus aut superiores, aut pares forent. Sed ut calida consilia prima specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia; ita etiam hinc accidit. Nam licet nostrates magnarum animarum prodigi, strenuè & fortiter dimicarent, & Tartaros summâ vi repellerent, tamen ex nimia nostrorum confiden-

confidentia & securitate Barbari occasionem captantes, recollectis viribus & versis copiis novum impetum faciunt: ut demùm tota belli acies fusa fuerit; Silesiique cum Pio suo Ductore, plerique miserè ad internecionem deleti, ( licet fortiter pro aris & focis pugnaverint ) pulcerrimâ morte occubuerint: quibus tessera loco reverà fuit, illud Elogium Poëtæ:

*Dulce & decorum est pro patria mori.*

Ac, quod miserabile & memorabile est, vix decem, è toto Christianorum exercitu, ex acie salvi & incolumes, fugâ sibi consuluerunt: immò, quod horribile auditu est, immanissimi sanguinarii Tartari, novem cæsorum Christianorum plenos auribus faccos, in signum tantæ victoriæ secum avexerunt; ipsius Pii Ducis Ligii, ut & aliorum Tribunorum capita palis & contis affixa, in ludibrium tantæ Christianorum stragis, quaqua versus progressi sunt, triumphantes ostentaverunt. Locus etiam, ubi funesta hæc clades facta, æternæ memoriæ causâ Templo insignitus fuit, & pagus, quem *Vallstadum* nuncupamus, ibi exstructus est. Nonne, mo etiam Scriptorum peculiari scripturâ, Tribunum illum STANISLAUM NOSTITIUM hoc immortalis mactat & ornat Elogio: Si Princeps ( verba ejus sunt ) hujus fidi Ducis consilio salubriori, quam aliorum præcoci sententiæ & temeritatis consvasorum obtemperare maluisset, tantam Christiani jacuram vix fecissent: ita homines temerarii, sui sensus tenaces, & ambitiosi, non respicere, nec prospicere solent: quæ tamen

*Prudentiæ*

*Prudentia anima & spiritus sunt.* In hoc infauſto  
prælio, STANISLAUS hic NOSTITIUS  
fortassis etiam, glorioſus Heros pro patriâ mor-  
tem oppetiit: niſi ille fuerit, quem alius Enco-  
mialtes NOSTITIANÆ Gentis, alio præ-  
nomine GUILIELMUM appellat. Qui ta-  
men illius auctoris in ceteris iudicio conſentit,  
cùm eum *ſummum belli Ducem & felicem* appellat: ac  
ob id etiam laudat, quòd ſerius illius inconfulti  
& temerarii prælii diſſuaſor exſtiterit: cuius con-  
ſilium ſi *Henricus Pius* magis, quàm Bohemi cu-  
juſdam Tribuni, ferocioris impetûs & elati ſpi-  
ritûs, jaciendam omnem belli aleam urgentis,  
ſecutus fuiſſet, res utiq; meliorem haud dubiè  
ſortita fuiſſet eventum: ac ſimul annotat, Bo-  
hemum illum unà cum Duce Ligio interiſſe;  
atq; ſic hoc operæ præcium ſuæ divinitus ſibi  
immisſum tuliſſe: *Malum conſilium Conſultori peſſi-  
mum.* Sed idem laudator tradit, hunc GUI-  
LIELMUM NOSTITIUM, poſtea *Bo-  
leslai Calvi* Ducis Sileſiæ, Principali Juventuti  
Præfectum fuiſſe, ac pro temporum illorum ru-  
diorum moribus, in Equeſtribus & Martialibus,  
Principe dignis exercitiis, Principes Juventu-  
tis Sileſiæ dextrè & fideliter inſtituiſſe; ac  
ideò ſecundum à Principe ipſo locum obtinuiſ-  
ſe, & ut de eo memorant, *primum Patriæ Guberna-  
torem* extitiſſe, & bene ac laudabiliter provinciæ  
præfuiſſe, ut hoc encomio deſunctus meritiſſi-  
mo ſuo honoratus ſit; ac in Principum Condi-  
torio Lignitii ad D. Mariæ conditus, honorifico  
hoc

hoc Epitaphio, pro more inculti illius ævi,  
rythmicè concepto, ornatus ſit:

*Hæc tumuli ſeſa clauduntur Nobilis oſſa*

*NOSTITII, miri, magnifici Viri.*

*Qui propter Stemma, radians velut unica Gemma,*

*Magna fuit patriæ gloria lausq; ſua.*

Ab hoc tempore, ultra duo propè ſecula de  
NOTITIANÆ Familiæ, editis domi mili-  
tiæq; virtutum heroicarum ſpeciminibus, &  
meritis, altum & perpetuum propè eſt ſilen-  
tium: non quòd credibile ſit, nullos interea  
avitis laudibus dignos extitiſſe; ſed ignotos  
per temporum illorum injuriam & incuriam,  
& indiſtos manſiſſe. Notum autem eſt, eorum  
qui præclare aliquid fecere, virtutem tantam  
haberi, quantum verbis eam potuere præclara,  
& decora dicendis rebus & perſonis extollere  
ingenia. Primus ex illâ temporum caligine &  
nocte feliciter emerſit, Tribunus belli inclitus  
SIGISMUNDUS NOSTITIUS. Cùm enim  
victorioſiſſimus & præglorioſiſſimus ſuâ ætate  
Regum *Matthias*, *Johannis Hunniadæ* filius, co-  
gnomento *Corvinus*, Hungariæ Rex, A. C. clo  
CCCCLXXII. omiſſâ contra juratum Chri-  
ſtiani Orbis hoſtem Turcam, & contra Chri-  
ſtianiſſimum ac pacis ſtudioſiſſimum Cæſarem,  
*Fridericum III.* Auſtriacum, ſuſceptâ expeditio-  
ne, factâ in Moraviam, Bohemiam, & Sileſiam  
irruptione, circa Vratiſlaviam caſtra metatus,  
& ille ipſe ibi à duobus ſœderatis invicem Re-  
gibus, *Cafimiro III.* Poloniæ ( qui à factione  
Hungariçâ

Hungariçâ Corvinum rejiciente huic in regno subrogatus erat) & *Vladislao* Bohemiæ, Regibus, ne ultrâ pedem proferret, prohibitus; ac per Ducem Saxonie *Ernestum*, & *Johannem*, Cicero- nem Germaniæ cognominatum, Marchionem Brandenburgicum, ambos Septem viros Electores, Proxenetas & Caduceatores, pace conciliatâ, iterum in Pannoniam reversus esset, atq; in Austriam & Stiriam digressus, Viennam, fortissimum propugnaculum obsedisset, obsesam cepisset, captamq; quamdiu superfuit, retinisset; in hujus belli Historiâ, honorifica Tribuni SIGISMUNDI NOSTITII mentio fit. Hic enim â primis annis usq; in maturam viri ætatem, in Regiâ bellicosissimi Regis Matthiæ Aulicus fuit, & hanc laudis palmam promeruit; quod, (licet in satellitio Aulico & ministerio militari ferocissimi Regis fuerit,) præter morem Martialium virorum, sibi ipsi, Regis minùs necessaria & injusta bella, quæ contrâ patriam suam, suo ipsius impetu & furore potiùs actus, quàm rectâ ratione ductus, suscepisset, displicuerint, eaq; ipsa pro virili suâ disvaserit. Sed cum ille, prævalente impotentis Regis ambitione & ardore belligerandi, suis monitis nihil proficeret, (unde etiam gratiâ Regiâ paullò excidit) in susceptâ illâ expeditione, acrem & fortem ac fidelem in omni occasione se præstitit. Eundem laudatum NOSTITIUM, cum corpore procerus & robustus, staturâ eminens, & manu promptus esset, omnes metuebant & reveren-

reverenter habebant. Ac Rex ipse hunc magni momenti Ministrum peculiari affectu complexus est; tùm maximè, cùm ad Vratislaviam cum numerosis Regum hostilium exerciti- bus manus conferendi in procinctu esset, & fortissimus hic Heros, cum suo Equitatu primum agmen duceret, & suos milites ad fortiter pugnandum exhortaretur, suoq; exemplo eos acueret & accenderet. Idem se acrem & alacrem ad Viennam obsesam tantoperè præstitit, ut magna pars laboris, & fortitudinis bellicæ laus in occupatâ illâ munitissimâ Urbe, illi â Rege ipso, magno militarium virorum æstimatore, adscripta fuerit. Oblabores hos militares, constantiam fidei, & merita diuturna â Rege nunquam satis laudato *Corvino*, amatus & honoratus est, nisi quod semel temerario ausu, vitam & sanguinem preciosum fidissimi Ministri, in arenâ prodigere visus sit. Nam cum aliquando Rex ille in Budensi arce animi gratia circumambularet, & deambulando ad Leonum antrum seu claustrum perveniret, & tùm ad oblectandum Regem rector ferarum illarum, uni frustum crudæ carnis objiceret, ibi Rex, (incertum si vè seriò si vè jocò) NOSTITIO illi suo imperabat, ut si tam celebratæ fortitudinis & roboris esset, belluæ illi escam videriperet. Animosissimus ille & imperterritus heros probè secum reputans, â quo hoc juberetur, & apud quos, nempe invidos & virtuti NOSTITIANÆ obliquos, æmulos & detractatores dicerentur, E imperata

imperata illa Rege indigna facere aggressus est,  
& manu veste obvolutâ dextrâ, gladio sive aci-  
nace stricto se in antrum demisit. Sed ecce quid  
mirabile hîc accidit! Ad primum congressum,  
formidabilis alioquin Leo, aspecto animoso &  
armato adversario suo, statim e faucibus escam  
dimisit, & de fugâ sibi circumspexit. Quare cum  
NOSTITIUS, carnes Leoni ablatas tanquam  
prædam opimam, si Diis placet, Regi reversus  
ostenderet; (unde quidem ab ipso Rege, & totâ  
Aulâ, cum admiratione & acclamatione ingenti  
exceptus est) ubi id periculosissimum & Heroi-  
co viro indignum virtutis editæ experimen-  
tum, se cum immanissimâ omnium ferarum, di-  
laniandû committi, detestatus, & execratus est;  
atq; idcirco ulteriorem ministerii operam Regi  
illi denegans, petitâ & impetratâ demum dimis-  
sione, in patriam ad suos rediit. Hujus porten-  
tosi facinoris oculatos fuisse testes, in illâ Aulâ  
rûm Legatos Regis Poloniæ *Casimiri*, validus erat  
rumor. Nonnulli etiam perhibent, quod postea  
*Casimirus III.* Poloniæ Rex, SIGISMUNDUM  
hunc ipsum NOSTITIUM sæpè in suam Aulam  
plenis gratiæ & clementiæ Regiæ literis & verbis,  
arcesierit; sed fidelis ille, vivo & superstite ad-  
huc *Matthia* Rege, ne ipsi invisus & suspectus de  
fide fieret, oblatam conditionem recusavit. Mor-  
tuo verò potentissimo Pannoniæ Monarchâ, præ-  
cibus *Casimiri* Poloni victus, stipendia sub eo, &  
aliis Principibus, usq; ad extremû vitæ halitum,  
meruit, atq; ita, quamdiu superstes fuit, consiliis  
pariter & factis bellicis eminuit. Ipse Imp. sui  
planè

planè nominis *Fridericus III.* Austriacus, NO-  
STITIUM hunc in summo honore habuit;  
qui candidus virtutis in hoste visæ laudator,  
sæpe eum hac laudis adoreâ insignivisse dicitur:  
*Se virum hunc optime meritum, multo auro redempturum, (nisi*  
*is hostium suorum Regem Matthiæ & Casimiri castra se-*  
*qui mallet,) eumq; honesto modo, si posset, suum esse facturum.*  
Qui Historias temporum illorum scripsere,  
rem paullo aliis verbis produnt. Cum A. C. clō  
CCCCLXXII. Rex *Matthias* Hungariæ à suis  
subditis rejectus, & Rex Poloniæ *Casimirus*,  
contra illum à nonnullis factiosorum Procerum  
electus esset; ille rem ægerrimè ferens, ma-  
gnam, contra æmulum suum & rivalem, expe-  
ditionem suscepit; ac ambo propè *Vratisla-*  
*viam* castra metati sunt. *Matthias*, inter alios  
peritos belli Duces præcipuum habuit *BAL-*  
*THASAREM NOSTITIUM*, Tribunum  
velitum suorum, (ut *Tartaros*, quos socios at-  
tulerat belli Polonus, abigeret;) qui sanè stre-  
nuè hostes velitationibus fregit, & insidiis stru-  
ctis, ac fictis belli furtis eosdem sæpè fudit.  
Narratur etiam historia quædam de NOSTI-  
TIO quodam Silesiæ Equite: cujus præno-  
men vel ignorantia vel incuria prætermittitur,  
verisimile tamen videtur id factum in bello fra-  
terno *Johannis & Balthasaris*, Ducum Silesiæ *Sa-*  
*ganensium*, de Ducatu *Glogoviensi*, A. C. clō  
CCCCLXXXIV. exorto. Cum enim *Matthias*  
Pannonum Rex, & Supremus Silesiæ Dux,  
à *Balthasare Saganensium Duce* contra fratrem *Johannem*,  
E 2 in

in auxilium imploratus esset, ac ille, cognita  
causæ æquitate, trecentos Equites sub ductu  
fortissimi illius & nunquam satis laudati NO-  
STITII subsidiarios, roganti misisset, Tribu-  
nus hic serio *Johannem Ducem* ferocissimum adi-  
gere, curæ sibi cordiq; habuit, ut *Ducatum Glogo-  
viensem Balthasari*, ex æquo & bono amicâ trans-  
actione cederet. Sed cum hic nollet, à *Balthasare*  
illâ ditione Glogoviensi repulsus; ac tandem  
*Johannes*, cum illo fratre suo, hoc modo litem  
componere, coactus est, ut *Ducatus Saganensis*,  
Ducibus Saxonie *Ernesto Septemviro*, & *Alberto ejus*  
*fratri*, pro precio LV. clo aureorum Hungari-  
corum, oppignoraretur: qui etiam à Domo Sa-  
xonica ultra LXX. annos possesus est, donec à  
FERDINANDO I. Rege Bohemie & Archi-  
Duce Austrie redemptus, & corpori Silesie ite-  
rum insertus fuerit. Magna deniq; injuria fie-  
ret NOSTITIANO nomini, si GEORGIUM  
illum NOSTITIUM, immortalis memoriæ  
heroem ex Glogoviensi Ducatu oriundum,  
ingrato silentio obrutum prætermitterem. Is  
enim in Jagellonici sanguinis Principum Duum  
virorum, *Vladislai Patris*, cognomento Boni, &  
*Ludovici Filii* (qui immaturè sine cute natus,  
immaturè promissè & prolixè barbatus, ac in  
ipso Juventutis flore, non sine tristi omine  
amittendi regni & vitæ, canus extitit) Regiis  
Aulis, nobilis puer & satelles inservit; ac dein-  
de adultior & maturior factus, illi ultimo & in-  
faustissimo Regum Jagellonicorum in Hungaria  
& Bo-

3  
& Bohemiâ à Secretis & Consiliis bellicis, ac  
fermè Gubernator provincialis fuit. Ac cum  
Rex Ludovicus, mento quidem visus senex,  
sed mente ac judicio puer, qui à suis fervidis  
consultoribus, & rerum imperitis Clericis, &  
præcipuo eorum Conso, *Paullo Tommorhæo Mo-  
nacho*, *Georgio Zepusensi*, & *Episcopo Ladislao Strigo-  
nienfi*, verè Despoti-Kyriis, sive Dominis Do-  
mini, & Pædagogis quasi suis

*Ductus, ut à nervis alienis mobile lignum,*  
contra potentissimum Turcarum Imperato-  
rem, Solimannum (qui facta irruptione Albam  
Juliam A. C. clo lo XXVI. obsesam cum  
aliis confinibus locis intercluserat) ad arma te-  
merario ausu arripienda concitatus fuerat, cum  
Domino suo NOSTITIUS ille, & acriter, &  
fortiter, & fideliter, contra formidabilem illum  
hostem, prælium commisit. Verum (eheu quan-  
ta animorum cœcitas! quanta temeritas!) cum  
omnia imprudenter & inconsideratè ac festi-  
nanter deliberata & instituta fuerint, ut ex im-  
providâ istâ ac cœcâ festinatione, omnis propè  
Regius Exercitus, & apparatus Hungaricus, uno  
quasi ictu amissus, & ex copiarum XXV. clo.  
numero, caforum quindecim millia desiderata  
fuerint, ac (quod gravissimum communis ja-  
cturæ pondus fuit) Rex ipse tanquam fortunæ  
ludibrium & pila, fugiens in profundâ palude  
cum equo absorptus, & suffocatus perierit; ille  
NOSTITIUS nunquam satis laudatus, præ-  
videns perspicaci sagacis animi oculo, futuram  
Regis

Regis & Regni tempestatem, ( exemplo  
STANISLAINOSTITII Gentilis sui,  
Henrico II. Pio Silesiæ Duci, similem tam peri-  
culosam, contra validiores Tartaros, belli  
aleam jaciendam frustra dissvadentis) seriò  
validis rationibus dissvasit, ne Rex seipsum,  
summam rerum, & totam regni fortunam, an-  
cipiti unius prælii eventui committeret; aut, si  
aliorum judicio contrario stare vellet, tamen  
potius, tanquam prudens Fabius Cunctator,  
rem procrastinando tamdiu differret, donec co-  
piis majoribus instructus, tam potentem & in-  
victum hostem, æquò magis Marte exciperet:  
interim non urgeret, sed traheret bellum, &  
Turcam crebris velitationibus & depopulatio-  
nibus detereret; Albamq; Juliam, ubi antiqua  
Regum Prædecessorum suorum monumenta,  
& Conditoria constituta & erecta essent, subsi-  
diis firmioribus transmissis firmaret. Hoc salu-  
bre, & pro instanti temporum necessitate adhi-  
bendum, prudentissimum sanè NOSTITII  
consilium procul habitum, & aliorum pericu-  
losa & exitiosa, præcipuè *Pauli Tomorrhæi* auda-  
cissimi hominis, prævaluere; qui speciosè præ-  
texuere, ipsum Regem pusilli animi argui,  
quasi auspiciis suis, & fortunæ Martialis populi  
Hungarici diffideret, aut invideret. Ac pes-  
simus ille Consultor, bonum illum & candidum  
NOSTITIUM, clandestinis modis non me-  
diocriter supplantavit, ut aliquatenus gratiâ  
Regis exciderit. Is enim illum suum Ministrum  
clam

clam delatum, specie honoris quasi in exilium  
amandans, expeditum negocia nonnulla, ad  
Sigismundum I. Regem Poloniæ, Patris sui  
Vladislai minorem hoc natu fratrem, patrum  
suum misit: quod ipsius bono & felicitati ces-  
sit. Interea enim hæc lamentabilis & funestissi-  
ma clades intercescit; quâ fenestra Tyranno pa-  
refacta est, ad floridum illud Pannoniæ Regnum,  
quod diu munitissimum propugnaculum, &  
quoddam promontorium & claustrum oppositum  
fuit, ne ulterius prædo ille terrarum, & latro gen-  
tium immanissimus, in reliquam Europam per  
Germaniam pedem proferret. Etsi verò Regem  
*Köteritius* (alii *Czetteritium* Silesiæ Equitem no-  
minant) Eques Misnicus, nobilis puer & Satel-  
les Regius cum equo præcipiti submergi & suf-  
focari viderit, tamen neq; statim immersum  
extrahere, neq; post submersi Regis cadaver, re-  
perire potuerit: legatione tamen suâ Polonicâ  
defunctus NOSTITIUS hic, precibus & lacri-  
mis Regina Mariæ adductus, nullum periculum  
exhorruit, & juxta indicium pueri Nobilis Cu-  
bicularii, Regium cadaver indagatum, ex pro-  
fundo limo & cæno palustri extractum, Regina  
Vidua reddidit; cujus piâ curâ in Maritum  
suum, regiâ cum magnificentia, Albæ Juliæ Con-  
ditoriis Regiis majorum, Rex illatus requiescit.  
Ob hoc periculofum pietatis officium, raram fi-  
dem, & præstita diuturna Regi supersiti mini-  
steria, à Regina ipsi GEORGIO NOSTITIO  
opulentum & opimum quoddam prædium, in  
finibus

finibus Hungariæ situm, præmii loco donatum est; quod ejusdem Hæredes & Nepotes, (qui jam, aut pro more peregrinarum gentium, aut casus alicujus fortuiti occasione, deposito suo NOSTITIORUM gentilitio nomine aliud sibi adscivere) adhuc hodiè possidere dicuntur. Quidam verò Rerum Bohemicarum scriptor, paulò aliter, quàm Hungarici Auctores, hanc historiam memorat. Nimirum NOSTITIUM Cameralem & Equitum Magistrum fortiter & strenuè pugnantem eò annis fuisse, ut viam & aditum evadendi Regi infelicissimo, in tanto hoc vitæ Regiæ & Regni periculo, aperiret; sed cum Rex fugitivus equo oppressus, & palude submersus periisset; illum ipsum fidelem ministrum observato loco, noctu regium cadaver extraxisse, mundatumq; sordibus Reginae Viduæ mæstissimæ sepeliendum tradidisse. Quem admodum verò nauta in ignoto & antea intacto, aliena vestigia legens, mari, incertus quò feratur, oberrat, & sæpè naufragium facit; in noto verò & familiari, facili cursu ad portus & littora appellit: ita & ego in profundo hoc NOSTITIANÆ Gentis quasi pelago per aliena vestigia velificans, alicubi forte cymbam meam alli si, si non fregi: nunc in notiore & certiore velificaturus, cursum meum compendifaciens, ad portum rectà me verto. Hæc verò propinquior tua stirps, *Illustris Domine*, & Martem Patrem, & Minervam, seu Palladem, ægide armatam, quasi Matrem & Patronam habet. Nam heroicæ virtutis

virtutis & invicti animi bellator, Atavus Tuus CASPAR NOSTITIUS Eques gloriosissimæ memoriæ A. C. clō CCCCLV. sub Teutonici Ordinis Præfecto seu Præside (quem vulgò Magistrum vocant) LUDOVICO ERLINGSHUSIO fortiter & feliciter, adductis ipsi mille gravioris armaturæ Equitibus, stipendia meruit: quæ cum pace factâ, nec Duci illi, nec dimissis & exautoratis militibus, tum deficientibus pecuniæ nervis, non statim exsolvi possent, *Magister Ordinis*, literis manu sigilloq; suo roboratis bonâ fide sese obligavit, soluturum se debita, post aliquot menses; ac non observato solutionis termino, ipsi NOSTITIO suis cum militibus, ex Equestri Silesiæ Ordine maxima parte lectis, potestatem dedit, quoquo modo fieri posset, solutionem exigendi & cogendi. Hisce & aliis gloriôsè domi & foris partis rerum gestarum elogiis, CASPAR ille animam de Christiana Rep. bene meritam, Christo Redemptori suo lubens resignavit, relictis ex Conjuge suâ, nobilissimæ *Gersdorfforum* stirpis, duobus masculis, paternarum virtutum fortunarumq; hæredibus, HARTWIGIO Abavo Tuo, & GEORGIO. Quorum ille ex se genitum Proavum tuum JOHANNEM, familiæ propagandæ furculum dedit. A quo major & clarior Patre suo ABRAHAMUS Avus Tuus prodiit, qui à D. MAXIMILIANO II. Imp. Aug. in Comitia Ratisponensia vocatus, operam illi

F in

in bellis Hungaricis fidam addixit. Ex quo  
 ABRAHAMO II. JOHANNES Pater  
 tuus oriundus: qui vel eo nomine Beatus est  
 censendus, quod præter liberos ex priorè Con-  
 jugè, HELENA SCHLICHTINGA su-  
 sceptos, ex secunda Conjugè SOPHIA NO-  
 STITIA Gentili suâ, Te, *Illustrissime Baro,*  
 OTTO NOSTITI, & Illustrissimum Fra-  
 trem Tuum JOHANNEM HARTWI-  
 GIUM, S. R. J. Comitem, Augustum Consi-  
 liarium, Regni Bohemiæ ante Supremum Ca-  
 merarium, & Governatorem, nunc ab excessu  
 Comitis MARTINITII (qui moriturus di-  
 gito quasi HARTWIGIUM illum NO-  
 STITIUM monstratum, sibi succesorem  
 optasse fertur) ab invictissimo Cæsare FER-  
 DINANDO III. Cancellarium Supremum  
 creatum, ambos virtute & fortuna longe ma-  
 jores se, Regni scilicet Bohemiæ & provinciæ  
 patriæ Silesiæ, diverso respectu, tantos Præfe-  
 ctos & Administratores, fato & sorte nascendi,  
 in usum præsentis, & futuri seculi exemplum  
 ac gloriam, genitos reliquerit. Illius JOHAN-  
 NIS Patris Vestri Beati Diis Manibus, si apud  
 Superos nostrum acroama curat, hoc adscri-  
 bam:

*DIVE PARENS, quem nunc complectitur axis  
 Olympi,*

*Seu Colis Elysias, animarum pabula, valles,  
 Adspice, completur votum Tibi. Natus uterq;  
 Te meritis, quod longius est optabile, Vincit.*

*Vos*

*Vos enim, Vos inquam, tanquam gemella & be-  
 nigna sidera, Castor & Pollux, unius animi & oris Fra-  
 tres, gubernatoriæ, in variis Reip. fluctuationibus  
 navi, ad Caput bonæ Spei & communis Salutis,  
 velificanti, affulgere soletis, adeò ut illa sæpius  
 syrtibus & scopulis allisa, aut vadis & vorticibus  
 poenè absorpta, salva in portum delata sit, & ad-  
 huc tutò deferatur. Si à patriâ tuâ ad patruam  
 lineam obliquare licet, & à GEORGIO CA-  
 SPARIS Primi altero Filio, porrò ad OTTO-  
 NEM I. GEORGII Filium, ad OTTO-  
 NEM II. Nepotem illius, & ab hoc ad HIE-  
 RONYMUM Capitaneum Gorlicensem,  
 Avum tuum maternum, qui anno superioris se-  
 culi LXXIV. ipso anno Climacterico Magno  
 rebus humanis exemptus est, processerimus, fe-  
 licissimum hunc proximum pariter Genitorem  
 proclamamus, quod ex secundâ Conjugè CA-  
 THARINA TEMRIZIA, filium, & se, &  
 plerisq; Majorum suorum togatis virtutibus &  
 Aulicâ fortunâ superiorem, OTTONEM III.  
 Trium Inpp. Augg. D.D.D. RUDOLPHI II.  
 MATTHIÆ, & FERDINANDI II. Consi-  
 liarium intimæ admisionis, Orbi Christiano,  
 Imperio Romano-Germanico, ejusq; Maximis  
 Dominis, Principem Magnorum Ministrorum,  
 Megistanem, & Consuem reliquerit. Quorum  
 Divorum Augustorum ultimus, testandæ Au-  
 striacæ Clementiæ & Gratiæ Augustalis, incom-  
 parabilem illum NOSTITIORUM  
 OTTONEM, in Illustrem Generosissimorum*

*F 2*

*Baronum*

Baronum Ordinem, cum amplis prærogativis  
evexit. Cujus inclitissimi & Consummatissimi  
Viri, Diis Manibus & æternæ memoriæ, Silesiæ  
suæ, immò universæ Germaniæ Phoenix, Scri-  
ptor verè Augustus, MARTINUS OPI-  
TIUS hunc tumulum, notis virtutum NO-  
STITIANARUM characteristicis graphicè  
expressis, insignitum, monumenti chartacei  
loco, conditum, posteritati suum cuiq; decus  
rependenti, dicavit, consecravat.

*Cujus in hoc sita sunt, LECTORES, ossa sepulcro?*

*Cor fuit invicti Cæsaris atq; manus.*

*Illum ultra laudes doctrinæ lumen avitas*

*Extulit, & studii nobilioris honos.*

*Adde catos hominis mores, & præmia fandi,*

*Et semper faciles, numina docta, deas.*

*De sermone rogas? voces expressit Iberas*

*Insimul, atq; tuas, Itale, Gallæ, tuas.*

*E Latio Taciti sensus & verba tenebat,*

*Et Grajæ dulces noverat illecebras.*

*Ultima succedit Judaica palma, nec ullus*

*Hebræus similis tam fuit ipse tibi.*

Hoc Elogium, hanc picturam loquentem,  
hoc monumentum æternæ laudis, pulcrius &  
speciosius ac preciosius arbitror, quàm si trabi-  
bus, aut marmoribus, nomen tanti Viri, inci-  
sum, dubio posteritatis affectui, ac vetustatis se-  
rioris casibus obnoxium foret. Nam Semo-  
nem illum, aliis in exemplum illustri loco posi-  
tum, serius Poetarum labor, & æternus Anna-  
lium honor honestabit, & perpetuabit. Quod  
nisi

nisi, *Per Illustris Domine, cum Inclito Fratre Tuo,*  
celeberimi ac divini Avunculi vestri figuram  
animi, & formam mentis æternam, exactâ vir-  
tutum illustrium imitatione, exprimere mal-  
les, quàm externam imaginem, & simulacra  
vultus, quæ imbecilla, fluxa, & mortalia sunt,  
sub ejus imagine fictâ aut pictâ hoc Epigramma  
subscriptum adderem:

*Cæsaris Augusti Consus NOSTITIVS hic est:*

*Notus in Eois Hesperiusq; plagis.*

*Noverat ingenium Dominorum, mobilis Aulæ,*

*Omnigeni populi, temporis, atq; loci.*

*Quicquid & est gravius, semet cognoverat ipsum,*

*Atq; suo mensus se pede, cautus erat.*

Ut verò, *Illustris Heros*, primigenii tui Majores  
paullò remotiores, Impp. Augg. FRIDE-  
RICIS I. & II. CONRADIS; Regibus  
etiam superiorum seculorum potentissimis,  
MATTHIÆ HUNNIADI CORVINO,  
Hungariæ Sceptrigero, CASIMIRO, VLA-  
DISLAO, SIGISMUNDO, LUDOVICO,  
Jagellonici sanguinis, Principibus Sacris &  
Profanis, Magistro Cruciferorum, HENRICO  
PIO, & BALTHASARI, Ducibus Ligiis, Pia-  
stæ stirpis Regiæ, domi & foris suam pruden-  
tiam, suam fortitudinem, suam justitiâ mo-  
derationemq; ita etiam Tui propinquiore &  
recentiores, sub Alis Augustæ Domûs Austria-  
cæ Aquilinis (quæ divinitus ad Imperium po-  
terioris Orbis habendum data, & cœlo demissa  
est) triumphantes, Imperatoribus & Regibus  
MAXI-

MAXIMILIANO II. RUDOLPHO II.  
MATTHIÆ, FERDINANDO II. gloriosis-  
simæ memoriæ, mirificè illorum easdem, aut  
fortassis majore materiâ & felicitate exuberan-  
tiores Virtutes, Toga & Sago, approbarunt. Ex  
quo meridiano Sole clarius apparet, quò Augu-  
stior est Gens Austriaca, & nobilitate suâ Deo  
proxima, eò nobilioris stirpis amicos & mini-  
stros, de quibus major omninò spes, meliorq;  
fiducia affulget, sibi omni tempore cum judicio  
eligere consuevit. Benè enim longo usu per-  
spectum & compertum habet, si nobilioribus,  
strenuis, & actuosis munia, pacis & belli mini-  
steria, commiserit, hoc ipso benevolentiam &  
amorem generosæ nobilitatis & Equestris Ordini-  
nis, in se provocari, derivari conservariq;. Ve-  
rùm, (cum pace tuâ, *Clemens Domine*, indulgen-  
tiâq; liceat sine velo loqui) omnes Tibi rerum  
intelligentes & boni, (à quibus modò duo illa  
vitia, ut civitatum, ita singulorum hominum,  
sæpè communia, ignorantia nimirum recti, &  
invidia ac obrectatio absint) largiantur, licet  
multum nominis NOSTITIANI à gloriosis  
Tuis Majoribus in Te hæreditario Jure redun-  
det: tamen, si rectà rationis decempedâ rem li-  
braveris, cognitum habebis, eum, qui primus  
Ordine & numero notitiam NOSTITIANÆ  
Familiæ edidit, omnium rectè judicantium  
sententiâ, primum pondere Virtutis, & sine  
prævio aliquo duce solum, habendum esse. Cau-  
sam quæris, nisi fallor? suâ enim, non alienâ  
virtute

virtute, suâ operâ non adscitâ, fultus emerfit.  
Quamobrem satius tibi fuit, sicut Tu in tot  
Majoribus Tuis, instar palmæ flores & viges;  
ita Majores in Te gloriantur, quòd Tu ipsorum  
vestigiiis insistens, ut illi suis venturis, sic Tu  
olim tuis posteris & seris Nepotibus, nova glo-  
riæ fax, ut illustre virtutum sidus illuxeris.  
Quare ut hætenus tibi in speculo, prolixâ serie,  
Progenitores Tuos & Majores intuendos &  
contemplandos exhibui: ita nunc imaginem  
Tui, penicillo picturæ loquentis adumbratam  
& delineatam proponam, ut aspecto totius vitæ  
tuæ in hunc usq; diem transactæ curriculo, re-  
cognoscas, quid olim puer multa & magna pro-  
mittens, præluseris? quid Juvenis tempore di-  
scendi adultus ostenderis? quid Vir, edecuma-  
ti judicii experimentis virtutum & laudum tua-  
rum, bonâ fide præstiteris, ac deniq; editis tot  
egregiis speciminibus, in Templo Honoris gra-  
datim, non saltuatim, ad præsens hoc usq; di-  
gnitatis fastigium, emerferis? Duo autem ma-  
ximè tempora, *Illustris* NOSTITI, noscenda  
tibi sunt; primum, quod vitam tuam anteces-  
sit, de Majorum tuorum antiquitate & genero-  
sitate, de quâ paullò Superius satis, ut puto, dis-  
sertum: alterum quod te Vivo & Spirante (uti-  
nam diutissimè!) decursum est; in quo Te  
ipsum totum cognosces. Quod si tempus nati-  
vitatæ aliquid portendi creditur, considerata  
veniunt, annus, mensis, dies. Quod anni  
(doctissimi apud Romanos Togatorum voce,) tetra-

tetrachordon spectat, OTTO NOSTITI  
non natus es hieme, nivibus & frigoribus infor-  
mi ac rigidâ, non æstate infans caloribus noxiâ,  
sed vere, horâ anni speciosissimâ, ac Veris ocu-  
lo, Majo mensium omnium formosissimo, niti-  
dissimo, amœnissimo. Ex vernali enim & libe-  
rali tuâ fronte & facie, in primævo ætatlæ in-  
fantilis & puerilis tuæ Vere, statim sub amœni-  
tate illâ floridâ, maturitatem virilis, & autum-  
nitatem senilis ætatis, cum pari prudentiâ & ju-  
dicio, præmonstratis tot ingenii animiq; dotibus  
ac minis, ex longinquo promissisti & spon-  
disti. Dies etiam Tuus Natalis, qui in IX. Ka-  
lendas Junias Anni Christiani clō Ioc VIII. in-  
ciderat, non sine habendâ omnis alicujus ra-  
tione, recolendus est. Fasti enim Christiani  
Pervigilium Pentecostes, sive Festum DEO  
SPIRITUI SANCTO, Hospiti piarum ani-  
marum desideratissimo, & optatissimo, conse-  
cratum numerabant; quod præsignificare vi-  
sum est, nobilissimum illum puellum fore Con-  
tubernium, & habitaculum illius Sanctificatoris  
purissimi, qui ingenium ipsius indolemq; animi,  
ad capiendum & imbibendum, cum bonarum  
artium doctrinis virtutes tam Christianas, quàm  
Civiles, & Morales præparaturus & illustratu-  
rus esset. Porro prædium SEIFERSDOR-  
FIANUM, quod Optimus Musarum & Gra-  
tiarum secessus & receptaculum est, ad Bobe-  
rum, tot Poëtarum Silesiæ Patrem, in Ducatus  
Javoriensis Boleslaviensi Diœcesi (ubi urbs  
illa

illa exigua, Mater Poëtarum fœta, nomina-  
tim Quatuorvirum illorum clarissimorum,  
*Kirchneri, Opitii, Nûsleri & Tscherningii*) tibi  
cunabula & materna ubera, alimenta corpo-  
ris, & prima ingenii animiq; pabula dedit.  
Quia verò nemo ad virtutis eminentiam, de-  
mum jam maturus ascendit, nisi qui teneris  
in annis puer adhuc, generosiore virtutum avi-  
tarum seminario, aut plantario concretus,  
minis ingenii, frontis & vultus indicibus,  
aliquid incliti designaverit; Parentes Tui Sa-  
gacissimi, illis præviis indiciis incitati, liberali  
ac prænobili Tuæ indoli, habito Præceptorum  
dexterorum & fidelium delectu, tempesti-  
vâ institutione ita prospexerunt, ut in studio-  
rum & morum pariter initiamenis, ad pri-  
mam frugem adolesceres, & sensim mature-  
sceres. Eapropter A. C. clō Ioc XIV. sub  
domesticis & conductitiis Pædagogis ac for-  
matoribus pueritiæ, in ædibus, sinu, indul-  
gentiaq; liberali Parentum, nobile sexennium  
absolvisti. Finito hoc tirocinio, nunquam  
satis laudati Parentes Tui, deliberato prius  
consilio, Te ex domestico ludo & umbrâ in  
publicas Scholas, bonarum mentium pryta-  
neia & Palæstras, produxere, ut ibi aliorum in-  
geniorum nobilium consuetudine ac æmula-  
tione acrior & alacrior fieres, transferendum  
curarunt. Ac Te initiò Leobergam miserunt;  
ubi sub litteratissimo, & disciplinæ Veteris  
G Schola-

Scholasticæ tenacissimo Viro, CASPARE SVEVO; & exin Gorlicium; ubi sub ELIA CÜCHLERO, Gorlicensium Epicharmorum, *Johannis Ludovici, Joachimi Meisteri, & Casparis Dornavii*, dignissimo Optione; qui non tantum selectâ Discipulorum in Togâ & Sago eminentium nobilitate, sed etiam felici Epigrammatum Græcorum, quæ præscriptum Anthologiæ nomen gerunt, Latina interpretatione, clarus exstitit, adeo adolescentiam tuam exercuisti, ut doctores illi, freno potius Te retinere, quam calcaribus incitare, opus habuerint. Jactis igitur, quibus pueritia adolescentiaq; præformari solent, studiorum primordiis & fundamentis, judicio prudentissimorum Præceptorum, & decreto Nobilissimorum Parentum Tuorum, *Illustris Baro*, misus es è patriis ludis in lucem Academicam. Ac initio *Lipsiam*: ubi studia graviora, Equestri homine, & futuro tanto Politico, ac Magistratui necessaria & utilia, & quidem ex *Lipsii, Iscanii* illius Sapientis præscripto & voto, triplicis generis, diligenter & industriè tractasti. Quæ enim Moderatori Reip. ad splendorem faciunt studia, ea tibi familiaria reddidisti; qualis est Eloquentia Civilis & Senatoria, gravis, librata, & ponderosa; ac Lingvæ; Latina nempe hodiè Orbi terrarum ita communis, ut olim Græca; Gallica; Venerum & Gratiarum propria, ac Germanicis Aulis familiaris.

Deinde

Deinde quæ ad Prudentiam Civilem conducunt, maximè Tibi curæ cordiq; erant: quales sunt Historia, Politica, & Juris Prudentia; quæ sunt vera Principum, Equestrium ac Illustrum Virorum, palæstra & Schola. Deniq; cum incredibili & Tuo, & alieno fructu hausta studia tenes, quæ ad Virtutem ducunt; ut nimirum probus moribus; ingenio modestus; constans adversus motus & metus temporum, hominum, & animi; justus æquusq; tenax; quod publicè privatimq; expedit; & similia, quæ saluberrima doctrina Ethica incalcare solet. Nonnulli familiares Tui ferunt, & alii ex Polymathia tuâ, & disceptandi de variis rebus exercitatione conjiciunt, Te in primâ juventute Studiis Philosophiæ & Theologiæ, ultra quàm utile & concessum vestri Ordinis viro esse videatur, acrius & ardentius inhæsisse, nisi prudentia & auctoritas magni illius OTTONIS AVUNCULI Tui, Consi incomparabilis Augustæi, ac senis Sapientissimi, incensum & flagrantem Juvenis animum coercuisset, & Neoptolemi illius Enniani monitum seriò Tibi inculcasset, *paucis nimirum esse Philosophandum, siquidem omnino haud placeret, nec conducere.* Quemadmodum autem ii, qui, ut multos hominum mores & instituta cognoscant, peregrè proficiscuntur: tantummodò tamen in unâ qualibet terrâ & urbe, quantum ad prudentiam, ex multarum rerum cognitione & usu colligendam satis est, commorantur: ita illustres personæ, non nimis se Philosophicis

Discipli-

Disciplinis, præcipuè iis, quæ circa nudam contemplationem versantur, ingurgitent, & immoriantur; sed ex unaquaq; illarum tantum, quantum ad virtutis & Gubernatricis sapientiæ usum fructum conferre oportet, hauriant. Quamobrem tanti viri Avunculi illius Tui Honoratissimi Auctoritati, quæ Tibi meritò pro ratione fuit, tamdiu morem gessisti; donec flagrantius & appetentius nimiae scientiæ ingenium tuum, ipsa ratio, & maturior ætas amicè conspirantes, mitigârint, ut ex illâ præceptâ Sapientiâ modum feliciter (licet igneis & volucribus ejusmodi ingeniis difficillimum factus sit) retineres. Quia verò Equestris Ordinis Juvenum non tam liberalia Scientiæ, Sapientiæ, & Prudentiæ Studia triplici modo constringenda, quàm etiam Equestria Exercitia conveniunt, Lipsiâ Argentoratum (quæ Urbs, in utraq; Exercitationum & liberalium & Equestrium palæstrâ floret) concessisti, ubi & utriq; Exercitiorum generi; atq; insimul Gallicæ lingvæ, Venerum & Gratiarum promæ, sedulam navasti operam, & in illâ speculâ per integrum annum unum & semissem alterius, præspeculatus es, Gallicarum virtutum & vitiorum confinia, & vicinitates, ne inter blandas illas Sirenes, & delenificas illecebrarum & varietatum lenas, naufragium & jacturam faceres. Sed in ista Peregrinatione ad firmandam scientiam, & prudentiam actuosam comparandam, ac ad contemplandum bonos mores, institutâ, non commu-

communem errorem, cum plerisq; Germanis errasti; quibus, quicquid domi natum & factum est, vilescit & silvescit; & transmarina, aut cisalpina magis sapiunt, quàm domestica & vernacula: sed Germaniæ communis nostræ Matris, provincias Imperii & Urbes celebriores, ac earumdem statum, instituta, & alia scitu digna, cum Generosissimo, non tam propinquâ sanguinis materni copulâ, quàm morum & Studiorum conjunctissimo, CHRISTOPHORO FRANCISCO à GABLENTZ, fido, & indivulso Achate tuo, facundo & urbano Comite, ac planè genii tui homine, prævisere & prænoscere maluisti. Quemadmodum autem viridarium varios flores & herbas, plantarium varias arbores & arbuta aperit & ostendit, quibus oculi & animi deambulantium delectentur ac pascantur; ita quoq; Vobis peregrinatoribus, Alsatia, hortus quasi florentissimarum civitatum, Basileam Rauracorum, fœderis Helvetici sociam, Friburgum, ditionis Austriacæ oppidum Academiâ celebre, Brisacum Brisgogæ promontorium, Colmariam, Selestadium, Hagenoam, Præfecturæ Provincialis cognomine claram, Dachsteinium, Moltzhemiumq; munimenta & propugnacula, Thermas Badenses, Acidulasq; valetudini & præservandæ & restaurandæ salubres, ostendit. Prælustratis illic nobilioribus hisce Germaniæ locis A.C. cl. loc. XXVIII. per antiquam illam libertatis altricem & defensatricem, Helvetiam digressi, Genèvam

Genévam Duci Sabaudia olim subjectam,  
nunc, excusso jam pridem jugo Sabaudico, pla-  
ne liberam Rempubicam, suburbium quasi  
Gallia, salutastis, ac ibi cognoscendi Reip. sta-  
tus ergò per integrum mensem, exercitiorum  
liberalium & Equestrium, quæ ibi florent, gra-  
tiâ, commorati estis. Hinc capta auditarum &  
visarum ibi rerum satietate, per Delphinatum,  
â quo primogenitus Regis filius, & nomen  
*Delphini*, & proventum sortitur, per Burgun-  
diam & Campaniam, rectâ in Urbem Parisio-  
rum, Gallia Epitomen, Europæarum urbium  
& ambitu vastissimam & populosisimam, iter  
fecistis; & visâ ibi Regis Christianissimi Majesta-  
te, Regiâq; Aulæ magnificentia, Principum  
Regii sanguinis & Patriæ Franciæ auctoritate,  
Curiaq; Parlamentariæ gravitate, & Academia  
ubertate, & aliis scitu necessariis, utilibus, &  
memorabilibus, aliò cogitare cœpistis. Idcirco  
per diversas & amœnissimas florentissimi illius  
regni provincias, Andegavum digressi estis;  
ac ad arduam & annuam obsidionem illam Ru-  
pellanam (ad cujus eventum totus Christia-  
nus Orbis oculos, aures, & animos converterat;  
cui etiam ipse Rex Christianissimus, LUDO-  
VICUS XIII. cum Zopyro suo, omniumq;  
Gallia arcanorum conscio, Eminentissimo  
Cardinale Richelieu, ut omnia impedita consilio  
& manu expeditiora fierent, interfuit & præ-  
fuit) visendi gratiâ perrexistis. Ubi felicibus  
auspiciis, & præsentia, & fortunâ Regis urgente,  
ac

ac Cardinalis operâ cooperante, ferocissimus  
& pertinacissimus ille portus, renitentibus tam-  
diu, quantum vis fortiter præsidariis, & sub-  
sidiariis, sub ductu præpotentis tum in Anglia  
Ministri Regii, Georgii Buckinghamii, submis-  
sis ex magna Britannia copiis, tamen fortiter re-  
pressis, sine exceptione, Regiæ Clementiæ &  
Gratiæ sese submitit. Nam (ut vetus Comicus ait,  
cum

— *Trophæum ferre me à forti viro pulcrum est,  
Sin autem & vincat, vinci à tali nullum est probrum.*)  
victis Rupellanis solatium in majestate & cle-  
mentia tanti victoris subsedit; neq; victis quic-  
quam, præter ferociæ & injuriæ licentiam, de-  
structis & solo æquatis munimentis & propu-  
gnaculis, contra Dominum suum exstructis,  
ereptum est. Id quod in Epico carmine, illi re-  
gio facinori, heroico spiritu æquabili, vir sui  
verè cognominis *Hugo Grotius* cœlo ita extulit:

— — *Totâ Rex obruit urbem.*  
*Naturâ, ô Cives, hoc Rege, hoc milite vinci*  
*Non pudeat; victam totus me prædicet orbis,*  
*Dum modò vel nostros Orbis quoq; prædicet hostes.*

Occupatâ post annuam propè obsidionem  
Rupellâ, cum Rex victor & Triumphator glo-  
riosissimus Lutetiam regresus esset, Tu quoq;  
Generosissime NOSTITI, cum Achate tuo  
Gablentzio illuc reversus es, ac ibidem per ali-  
quot menses, tum ut Regis triumphum, tum  
ut alia, in tanta rerum copia, facile neglecta, ra-  
riora & cariora, oculis & auribus exquisitis  
usurpa-

usurpares. Ut enim in copiosissimo viridario aliquo, nemo tam lynceus, aut Argus est totus oculus, qui universos & singulos flores & herbas, plantas ac arbores; aut in Ceimeliarcheo, qui omnia ingeniosa, artificiosa, speciosa & preciosa Ceimelia, planè & plenè observet, ut nihil illarum rerum oculos vel curiosissimi alicujus fugiat: ita quoq; nemo Peregrinatorum, præcipuè in tam juvenili ætate, (cùm tamen vera & fructuosa peregrinatio, judicium & delectum, hoc est, virum requirant) tam sagax & perspicax, & accuratus erit omnium rerum explorator & venator, ut emissitiis oculis, & animo curiosissimo, illius, in tanto Copiæ Cornu, nihil sese subduxerit. Sed cum nulla regio tam felix, tam omni parte beata sit, quæ omnia bona & dona DEI collecta, secum & sinu inclusa habeat; sed sparsa illa afferat, & Deo optimè dispensante, suæ cuiq; terræ dotes propriæ & peculiare, quæ dotent & ditent eam: eapropter Lutetiâ Parisiorum, & aliis finitimis Urbibus ac oppidis, & locis Galliæ, quantum satis erat, perlustratis & peragrat, per Normanniam, seu Septentrionalium populorum Coloniam, & Picardiam transiistis, (ubi in transitu vobis Ambianum est visum, urbs munitissima, superiore seculo ab Alberto Archiduce Strategemate intercepta, à Rege verò Henrico Magno armata vi recuperata) in Belgium, illam Minervæ officinam, & Martis arenam ac palæstram, contendistis. Ac quod difficillimum, & maximè

maximè periculosum fuit, propter aditus commeantibus mercatoribus & viatoribus interclusos, provincias quoq; Regi Hispaniarum subjectas visitastis; deinde per Bergizomium Confœderati Belgii ditiones perlustrastis. Ubi eo anno memorabili, *Silva Ducis*, aliquoties à Batavis frustra ante tentata, post aliquot mensium obsidionem, pactis conditionibus in manus Ordinum Bataviæ concessit: ac inter obsidendum, memorabili & admirabili furto belli, Vesalia, munitissima Urbs ab iisdem Ordinibus intercepta est: cujus jactura Cæsareanis, Hispanicis in auxilium missis, sub Duce Montecucullano in Velaviâ occupatis, manum iniecit, ne ulterius in viscera Bataviæ progredierentur. Sed mox missis ejusmodi horrendis Martialis ludi spectaculis, Lugduni Batavorum, ubi Palladis & Musarum domicilium; ac Hagæ-Comitis, ubi Consilium Statûs, & Fœderatorum Ordinum Curia, sedem fixam habent, per aliquot menses hæstistis. Ubi compellatis & salutatis in illâ Academiâ pariter & Curiâ illustribus, viris æternitate dignissimis, & auditis Legatorum variorum postulatis, ac Responsis Senatûs & Ordinum Fœderatorum, per Frisiam Orientalem, Comitatum Oldenburgicum, Bremam, Hamburgum, nobilissimum illud Hansæ Fœderatæ Emporium, & Lubecam Hanseaticarum Civitatum ad mare Balthicum primam, perq; Saxoniam Inferiorem, Marchiam Brandenburgicam, & Lusatiam, ambo peregrinatores

H incolu-

incolumes, ac quod rarum est, præcipuè inter cognatos, de prærogativæ aut æqualitatis iuribus frequenter disceptantes, concordēs unanimēq; in Patriam, ad Parentes & Consanguineos, quisq; suos, reversi estis. At quia vera & frugifera peregrinatio hoc commodi secum affert, quod sciat mores gentium & singulorum hominum, aptè miscere & temperare: ita Tu quoq; *Domine*, quicquid in Germaniā antiquæ gravitatis, in Galliā concinnæ venustatis, in Belgio asfertur libertatis observasti, aptè miscuisti; ut ex omnibus terrarum & gentium virtutibus & moribus compositus es, harum rerum intelligentibus visus fueris. Ut in Musicâ, è diversis vocibus & sonis concentum, & harmonicam quandam concordiam desideramus: ita in vitâ civili, in tantâ rerum & hominum varietate concinnam harmoniam. Cum etiam fructuosa peregrinatio sit instrumentum usus rerum, & prudentiæ civili parandæ, ut inde Tibi privatim, tuæq; Reip. quod imitere, capias; ac inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites; ab instrumento illo, ad ipsum usum, efficacissimum illum rerum omnium magistrum, exemplis viam monstrantibus, ad experientiam, verum Lydium Lapidem omnis civilitatis, & rerum agendarum, progredi coepisti. Quamobrem jactâ experientiæ, sub incude tractandarum rerum & actionum, formandæ & firmandæ alæ, Anno hujus seculi, XXX. ad ferventissimam negotiorum civilium

3  
civilium & Militarium Officinam, Augustissimam Imperatoris Divi FERDINANDI II. Aulam, interfaciendo per Bohemiam, Moraviam, & Austriam Superiorem, Viennam, Te contulisti, ut non tantum ibi, prævio principe Politicorum in Augustâ illa Regiâ Virorum, Illustrissimo L.B. OTTONE NOSTITIO, avunculo Tuo honoratissimo, Magnum FERDINANDUM, Augustam Imperatricem, Augustales Liberos, totamq; Domum Austriacam, cum admiratione & stupore adspiceres; verum etiam, ut Cognati Tui exemplo periculum eruditionis Tuæ agendo faceres, & tirocinium aliquod civilis Sapientiæ poneres. Nulla autem commodior & oportunior occasio, & amplior ac uberior rerum Imperialium, & Germanicarum cognoscendarum copia, Tibi obtingere potuisset, quàm quod tum gloriosissimus FERDINANDUS II. eodem anno Comitia Septemvirali Collegio singularia indixerat, de motibus Imperii gliscentibus, & simul remediis tempestivè adhibendis, deliberandi, quomodo, tandem sopitis simultatibus internis, externis hostibus, & turbatoribus Patriæ Germaniæ, occurrendum, & quomodo honesta & segura Pax sit stabilienda. Illuc Nestor ille Senior OTTO NOSTITIUS, Te sibi cognominem patruum Juniorem socium adscivit, ut ibi in assiduo Consiliorum motu & tractatu, variarum rerum cognitionem imbiberes, & judicium de illis ferre addisceres. Nam  
H 2  
propen-

propensissimus in Te propinquus ille Senior OTTO, qui exemplo Liviani illius Q. Fabii Maximi Senis, & ipse se olim Majorum suorum, & aliorum sapientum Seniorum gloria succrevisse meminerat, Te ad suam ipsius gloriam consurgentem, laetus aspexit, manuq; quasi suam ad excelsum illud Virtutis & Honoris Templum duxit, ac lampada tibi tradere visus est, ut esses aliquando, qui in eodem aut simili gloriae curriculo, ubi ille desisset, deficientis partes suppleret. Quia verò melius, & ipsis Principibus, & eorumdem Ministris, consultum est, si illi hos per gradus magis, quam per saltus, probandi causam promoveant, & hi modestius & moderatius ad culmen niti moliantur: ita Tu quoq; *Generosissime Domine*, gradatim & sensim, non subito & saltuatim, habitam minorum officiorum ratione, ad majora cum grandiore meritorum pondere, viam Tibi faciliorem & feliciorem, minore cum invidia, praestruisti. Primus enim Tuorum gradus Honorum fuit, quod praespectam & commendatam sibi virtutem tuam, a FERDINANDO II. Aug. *Pragae in Collegium Appellationum*, quod vera actionum forensium arena est, cum dignitate & titulo creati *Liberi Baronis*, coopatus, & A.C. cl. loc XXXII. VIII. Junii *Caesareus Consiliarius* publice proclamatus & inauguratus fueris. In quo gravissimo Officio, justus aequusq; observantissimus, in adulabilis, & sine personae respectu, cuiq; aequalis Iudex extitisti. Sed cum a Tribunali illo Regio, ob irruptiones Saxonico-Svecicas

3  
Svecicas in Bohemiam, ac ipsam Regni Metropolim captam, dissipato & suspenso, in aulam Imperatoriam Te reciperes, ab eodem illo Augusto benignissimo, *Aurea Clave* donatus, & a *Cubiculis* Majestati ejus, adesse jussus es. Quod splendidum Officium nemini, nisi probatae fidei & primariae nobilitatis Viris, committi solet. Inter gliscentes intemperantiis belli motus in Germania, cum veniam & indulgentiam ipsius Imperatoris A.C. cl. loc XXXIV. in Italiam, terrarum pulcerrimam & amoenissimam, ac totius Orbis Paradisum, Romamq; ipsam, olim Orbis Dominam & Reginam, divertisti. Ubi non tantum per annum integrum commoratus, Vestigia veterum Semonum & Heroum, pace & bello illustrium, emensus es; verum etiam viva & spirantia virtutum simulacra, infulam, togam & sago praeminentia contemplatus & admiratus es: ac majore & maturiore Viri judicio, quam in prioribus & juveniliore peregrinatione, ea observasti, quae Tibi Tuarq; Reip. inservitura erant, relictis nugis, crepundiis & inanitatibus, quae plerumq; juvenus sequi solet, amplexus, finem peregrinationis verum directe secutus, & feliciter assecutus es. Redux verò ex Italicam peregrinatione, ad pristinam Juridicam stationem & Spartam Te recepisti, & in *Collegio Appellationum*, telam Tuam pertexere coepisti, ut meliore & splendidiore loco & honore dignus omnibus visus fueris. Quod verò facilius crescere dignitas, quam incipere soleat, Tuo exemplo, NOSTITI  
*Illustris*

*Illustris*, probatum ibis. Nam postquam Divus FERDINANDUS II. animam de Imperio & Christianâ Rep. præclarè meritam DEO suo resignaverat, FERDINANDUS III. ut Sacri Imperii Romano-Germanici, & Regnorum ac ditionum, ita & virtutum paternarum dignissimus Hæres & Succesor, tum in aliis rebus, tum in paternis Amicis & Ministris amandis, observandis, & honorandis Studiosissimus, Te anno cło lcc XXXVII. proprio motu & suo pte Marte ad Augustam Aulam suam vocatum, aliis Candidatis prætulit, quem *Supremæ utriusq; Silesiæ Curie Cancellarium* præficeret: ad quod obeundum honorificum & onerosum munus, statim iussu Cæsaris in ipsâ Augustæ Regiæ Cancellariâ inauguratus, Eminentem eam Spartam in patriâ ornandam suscepisti. In quo munere constitutus, quo pacto te Cæsari, & ut fidelem subditum & Ministrum, & Patriæ Silesiæ civem bonum, ac Patriæ amantem, gesseris, non opus est verbis, cum rerum testimonia in ore hominum, & famâ temporum abundè, vel me tacente, loquantur. Nactus hunc secundum honoris & dignitatis gradum, ratus civilem societatem non usq; quaq; beatam esse, sine societate maritali & familiari, ideoq; deliberato prius consilio anno cło lcc XL. XII. Febr. Generosissimam nobilissimamq; Virginem BARBARAM CATHARINAM ELISABETHAM WACHTELIAM *de Panthenaw*, splendidis natalibus natam, ac in florentissimo virtutum materna-

3  
maternarum plantario educatam matrimonio sibi junxit; quod ad majora nitenti decus & robur fuit. In quo conjugio ambo invicem miro amore mutuo, concordia & fide vivitis, ut Tu illi Te Cajum, illa se Tibi Cajam, mutuis officiis certando, exhibeat; illa ad Tuum nutum imperata faciat, arbitrans, Sibi obsequii gloriam sufficere. Quæ adversorum & secundorum socia & comes perpetua, tibi quinq; thalami pignora, tres masculos, duas femellas, domus vestræ columnas, ac simulacra Parentum viva & spirantia dedit. Sed ut à privatâ, à quâ paullò digressi sumus, ad publicam felicitatem tuam regrediamur; neq; sic collatis dignitatibus, destitit fortuna, sed amplioribus te ornare perrexit. Annus enim quadragesimus & secundus hujus seculi Tibi planè auspiciatus affulsit, cum Augustissimus Imperator fidem & dexteritatem in minoribus muniis approbatam compensaturus, nempe *Supremam Ducatus Vratislaviensis Præfecturam*, quam à tot Capitibus regendis *Capitaneatum* vulgò nuncupant, per interpretem Cæsareæ voluntatis, Illustrissimum Celsissimumq; Ducem Ligium, GEORGIVM RUDOLPHUM, *Supremæ per utramq; Silesiam Præfecturæ Administratorem*, postridie Calendas Jan. Auspicalis mensis (postquam Tu ipse, iussu & auctoritate Cæsareâ, Generosum Dominum BALTHASAREM HENRICUM AB OBERG, nunc Tuum in isto *Capitaneatu*, ut olim in *Cancellariatu*, Succeso-

Successorem, in locum vacuefactum substitue-  
ras) Tibi conferre, ac Te Generosissimo DN.  
GVILIELMO BORECKIO Antecessori  
Tuo nuper defuncto surrogare voluit. In quo  
maximè arduo & molestissimo Officio, ita Te  
per integrum novennium, servato iustitiæ mo-  
derationisq; æquilibrium, ac severitatis & humani-  
tatis temperamento, exhibuisti, ut Augustus  
Cæsar, Pater Patriæ, cum Serenissimo FER-  
DINANDO IV. Rege, Filio suo Primoge-  
nito ansam & occasionem caperent, te ulterius  
& altius promovendi & extollendi. Quam-  
obrem cum Per-Illustris & Generosissimus  
Dominus, Comes S. R. J. GEORGIUS LU-  
DOVICUS STAREMBERGIUS, præ-  
cipiti fato præceptus, provinciam illam vicariæ  
potestatis vacuefecisset, Sacra Cæsarea Maje-  
stas, præviâ paullò ante Cessione Ducatum  
Sociorum Schvvidnicensis & Javorensis, nutu  
suo augusto, & quasi digitis Serenissimo Regi,  
Primogenito suo Te monstravit, quem ex tot  
Comitum, Baronum & Equitum Ordine dignis-  
simum, in honoratissimo pariter & onerosissimo  
Officio, illi defuncto Optionem delectum da-  
ret. Quo facto, Cæsaris etiam iudicio, vacue-  
facta Ducatus Vratislaviensis Præfectura, iti-  
dem in Fatis Tibi quasi destinatum, ut olim in  
*Cancellariatu Provinciali*, ita & nunc in *Capitaneatu*  
illo, *Successorem*, nunquam satis laudatum Baro-  
nem OBERGIUM, cum auctis dignitatis suæ  
titulis & emblematis, cecidit. De Te quidem  
ambiguum

3  
ambiguum & incertum est, utrum dolor & desi-  
derium illorum, à quibus discedis, an istorum  
vota & gaudia, ad quos accedis, sit majoris pon-  
deris & gravioris momenti? Quod ipsum sensu  
verborum & sententiarum extracto, ex *Magni-  
fici, Nobilissimi, Amplissimiq; Viri*, HENRICI PO-  
SERI, Mercurii Politici in Ducatibus illis, ac  
Nestoris ex Ordine illic Equestri Eloquentissi-  
mi, compositâ & gravissimâ Oratione (quam  
VI. Eidus Martias, in celebritate inaugurationis  
Tuæ publicâ, tum ad Commissarios Regios, tum  
Te novum Præfectum habuit) exprimere,  
quàm mea aliquâ inconditâ pictâ & fictâ Narra-  
tione Tibi, *Illustris Domine*, & aliis prudentibus Le-  
ctoribus obstrepere malo.

Præsentes, inquit, Domini Prælati, Comites, „  
Barones, Equites, & Cives, universi devotissi- „  
mi Ducatum horum inseparabilium Ordines, „  
Serenissimi Regis, & Domini Clementissimi, „  
Illustres & Generosissimos Commissarios, non „  
tantum summo cum gaudio exceperunt, sed „  
etiam devotissimo cum obsequio, quæ nomine „  
Regiæ Majestatis, Principis & Patris Patriæ pro- „  
posuere, perceperunt. Ut verò se promptos & „  
paratos esse ostendunt, ad Regia mandata re- „  
spondere; ita Ordines, breve quoddam tem- „  
poris spatium ad deliberandum sibi indulgeri „  
petunt. Post breve horæ spiramentum P O-  
SERUS, nomine & ex commissâ potestate  
in hunc sensum nervosè hæc regessit: Ordines „  
I univer-

“universarum octo Diocesum, ad Regis  
“proposita deliberato consilio, me Auctore, hoc  
“responsum devotè regerunt. Initio Regiæ Ma-  
“jestati Gratias illos ingentes agere, de plusquam  
“paternâ illâ providentiâ, & susceptâ Ducatum  
“horum tutelâ & præsidio, & pro exaudita neces-  
“sitate publicâ, ac moto re ipsa cardine, non tan-  
“tùm indultis antiquitus Privilegiis, bonis legib9,  
“& receptis consuetudinibus renovandis, con-  
“firmandis & conservandis, verùm etiam quòd  
“propter excessum Domini Comitis STAREM-  
“BERGII beatæ memoriæ, vacuefactam hanc  
“Spartam, horum Ducatum, Viro, ingenio, eru-  
“ditione, prudentiâ, & regendi artibus longo usu  
“instructissimo & subactissimo, ornandam, com-  
“miserit, adeò ut posthac tam in justitiæ admini-  
“strandæ ratione, quàm publicis consiliis, tam in  
“Civilibus & Militaribus, nihil de futurum sper-  
“emus, vel potius magnoperè confidamus. Præ-  
“cipuum ipsorum esse, gratiarum agendarum  
“momentum, quod Regia Majestas ex Regiâ &  
“paternâ curâ huic officio administrando pa-  
“rem, & decòrum Præfectum, ex antiquissimâ,  
“& domi & foris celeberrimâ prosapiâ oriun-  
“dum, Indigenam, pro tenore Privilegiorum  
“præfecerit, Per-Illustrem & Generosissimum  
“Dominum OTTONEM, Liberum Baro-  
“nem à NOSTITZ, Toparcham Seifers-  
“dorfianum, Eminentem Augusti Imperato-  
“ris Consiliarium. Cui fundamentales Patriæ  
Silesiæ,

3  
triæ Silesiæ, ac singillatim horum Ducatum,  
Leges, Constitutiones & Consuetudines, longâ,  
rerum exercitatione & usu penitus familia-  
riusq; cognitæ & perspectæ sunt; qui omnia,  
tempore discendi percepit, quæ tempore præ-  
cipiendi aliis, in promptu & numerato habeat,  
neq; jam per errores, cum poenitentiâ & damno,  
experimenta & pericula edat. Cui etiam amor,  
patriæ non inculcandus, cujus ut Communis,  
Matris semper amantissimus fuit, quia usum re-  
ctoriæ prudentiæ pridem in aliis provinciis ad-  
ministratis perdidicit; qui cum patriâ stat &  
cadit, ejusq; patriæ decus, æstimat suum. No-  
vimus universi & singuli, NOSTITIUM il-  
lum non novitium esse Reip. Gubernatorem &  
tironem, sed exactum & veteranum, qui initio,  
in *Appellationum Collegio Pragæ*, dein in *Cancellariatu to-  
tius Silesiæ*, & *Præfecturâ Vratislaviensi*, tantum lau-  
dis & famæ obtinuit, ut incertum sit, an majore,  
cum dolore à prioribus Stationibus dimissus, an,  
majore cum gaudio, ad novam admisus acce-  
dat. Eâ de causâ Ordines Ducatum horum,  
illi Præfecto Regio sua obsequia, observantiam,  
& cultum debitum, lubentes offerunt, & per-  
petuò præstabunt. Ac hoc ipsum sanctis pro-  
missis, & datâ dexterâ recipere & spondere,  
promti sunt. Spem etiam certam Ordines Uni-  
versi, & firmam fiduciam concipiunt, *Novum*,  
*Præfectum Regium*, charissimæ Matris suæ, quam,  
Patriam sancto vocabulo appellamus, in qua no-  
bili & illustri loco natus, omni virtutum &  
studiorum

“studiorum genere enutritus, & heredia sua pater-  
“na possidet, & cum aliis Ordinibus secundorum  
“pariter & adversorum vicissitudinibus, obno-  
“xius est, maxime, ut generosum filium decet,  
“rationem habiturum, cum inseparabili Regis &  
“patriæ bono, summos cum infimis pari jure re-  
“tenturum, ne quid utriq; detrimenti, injuriæ  
“aut contumeliæ capiant: causas reosq; auditu-  
“rum, ne inauditi atq; indefensi, tanquam inno-  
“centes pereant: atq; ita se perpetuò gesturum,  
“ut Privilegia ad pristinum vigorem redeant &  
“reflorescant, justitia & moderatio postliminiò  
“quasi reversæ, gratâ temperie sese mutuò am-  
“plexentur. Ac Ordines signum hujus rei certis-  
“simum evidenter aspiciunt, dum Novus Præse-  
“ctus Regius Juramento, in Conventu & Curiâ  
“hac, more antiquitus recepto, præstito, se obstrin-  
“gere promptus sit, cum non solum antiquæ con-  
“suetudines, hoc ipso observari, & amorem & ob-  
“sequium erga Præfectum corroborari deprehen-  
“dunt; sed etiam auribus hauriunt, oculis usur-  
“pant, quàm arctâ & strictâ religione, ad præstan-  
“dam tutelam, & justitiam administrandam, te-  
“neatur. Quia verò inter bona divinitus in nos col-  
“lata, nullum præstabilius est, aut pulchrius, quàm  
“bonus, sanctus, & Deo simillimus Princeps, qua-  
“lem Clementissimum Regem esse videmus, in-  
“gentes Deo agimus gratias, quod Regiæ Majestati  
“tàm intelligentem juris divini & humani men-  
“tem instillaverit, ut cum ille ipse Optimus sit,  
“Optimos quoq; Præfectos, Præsides & Ministros,  
sui

3  
sui simillimos, præficere velit; rogamusq; eni-  
xo cum obsequio, ut Rex optimus reliqua desi-  
deria nostra attemperet, & nos Austriacæ Cle-  
mentiae Alis regat & regat, quàm diutissimè.  
Hæc contracta ex proluxa eloquentissimi & sa-  
pientissimi POSERI, ad Legatos Regios, &  
ad Te, Nove Præfecte, Allocutione, Excerpta  
dedisse sufficiat. Quid enim huic tanti Oratoris  
Acroamati nervolius, gravius & elegantius ad-  
strui possit? Profectò si modò simplici ratione  
omnia enarrare, non exornare verbis & senten-  
tiis conari vellem, Opus sanè Iliade immensius  
& proluxius aggrederer. Quamobrem vela  
mea hic contraham, & in portum me ex hoc  
tàm alto & profundo mari recipiam, ubi saltem  
quasi in Peplo Minervæ, REGIUM FERDI-  
NANDI IV. DONUM omnibus thesauris  
& Ceimeliis inæstimabilius, quod DANIEL  
CZEPCO, ex nobili & generosâ Czepconum  
prosapia oriundus, Vir major, quàm clarior, ut  
Statûs ratione exactè cognitâ, insignis Politicus,  
ita & Spiritûs acumine, judicii acrimoniâ, & na-  
tivâ fingendi felicitate, canendis Austriacis Au-  
gustis, & Augustæis Ministris, Poëta augustus,  
Strenæ & Xenii loco, ipsis superioris novi anni  
Auspicalibus Calendis, devotissimus obtulit.  
Initiò enim antiquum FELICITER hoc Mo-  
nosticho exclamat:

PRÆFECTVS, Bona Scæva, datur, submittite corda.  
Non aliter sumi REGIA DONA decet.

Quod verò Regia Majestas, Te, NOSTITI,  
singulari judicio præcognitum elegerit, id dum  
reputat Regius ille præco, omnia se dixisse  
putat:

*SOBRIA cum CASTA PIA quem probat AVLA;  
sat esto.*

*Ni plus esse putas Noscere NOSTITIVM.*

Ac primum cultum, & maximum Regi, se-  
cundum sub alis illius & umbra sedenti Præfe-  
cto, Poëta interprete, universi Ordines defe-  
runt:

*Tu REGEM, TE nos imitari, RECTOR, adorna.  
REX veluti PATREM CÆSARA, & ISTE  
DEVM.*

Nam, QUANTUM EST HOC!

*REX ut Imago DEL; sic Præses REGIS Imago est.*

*Quantum est! & REGEM & penè referre  
DEVM.*

Quàm verò Ordines exultent, de novâ &  
pristinâ Reip. facie, & vultu reducto, quod In-  
digenam, non Alienigenam Præfectum à Regiâ  
Prudentiâ & benignitate acceperint! Id quod  
hoc interpretamento liquet:

*PRÆSIDIS & LEGVM fit Confirmatio junctim.*

*Cur? quia conveniunt. Qualiter? INDIGENA  
EST.*

Cùm verò justii imperii finis sit, utilitas obe-  
dientium & salus publica, Tu quoq;, *Electe Præ-  
fecte*, beatam Ordinum vitam Tibi propositam  
habes, ut nempe patria Resp. opibus firma, co-  
piis locuples, gloriâ ampla, & virtute honesta  
sit.

fit. Id quod Poëta quoq; Vester, tanquam au-  
spicata Musarum Luscinia, ita præcinit:

*Macte animo! priscam recipit RESPUBLICA formam.*

*Jam LAR, jam fines grande Tribunal habet.*

Sed cum Ver illud Pacis, Tranquillitatis &  
Securitatis Publicæ, serenum, duo illa magna  
luminaria, Justitia, quam Solem facimus, & Cle-  
mentia seu Moderatio, quam Lunam interpre-  
tamur, efficiant, Tu Regis ipsius exemplo (qui  
& ipse per Augusti Parentis sui vestigia ad cul-  
men omnigenæ virtutis & laudis, contendit)  
cogitas,

*Hoc uno Regis Præfectum sine creatum.*

*Dicere jus populis, injustaq; tollere facta.*

Summos cum infimis pari jure retinere, ut  
nec opulenti injustum aliquid patiantur, nec  
pauperes ab illis contumeliam aliquam acci-  
pian. Quàm ingeniosè & eleganter Tibi fictor  
ille ingeniosissimus, & pictor loquenti picturâ  
emblemata Hieroglyphica proposuit, intuen-  
da, cùm sine respectu personarum justitiam ad-  
ministrandam esse monstrat:

*En Ensem! En Libram! non Ensem innoxia gutta;*

*Non prematæs Libram. RESPICE. UTRVM-  
QUE SACRVM EST.*

Eandem Virtutem gubernatoriam, idem Em-  
blemate hoc illustrat, CLAUSIS OCULIS:

*Supplicibus properate libris. SENTENTIA LATA*

*Os vult JUSTITIÆ solvere NOSTITIVS. (EST.*

*Non bonus esto malis, malus His Quicunq; videtur,*

*Quàm benè, NOSTITI, desinit esse bonus.*

Requi.

Requirisne documenta Justitiæ Tuæ & æquitatis? Respice quæso, quod Dissidentes Ordinem Equestrem & Civilem, Senatus urbanos cum Civibus, Nobiles cum Rusticis, habitâ juris & æquitate, partim composueris & reconciliaveris, partim componere & reconciliare maximopere adhuc allabores, ne dissidia illa in discidia, factiones & seditiones erumpant! Respice etiam, quomodo Cæsarei Edicti de duellis, & homicidiis temerariis promulgati observantissimus, illa sanguinolenta & cœlo clamantia crimina, exemplis justitiæ severioris statutis acerrimè vindicâris! Hoc sanè fundamentum, & fructus perpetuæ commendationis famæ & gloriæ, justitia est, sine quâ nihil laudabile est; cum quâ omnia candida & læta Tibi sunt, & erunt, quamdiu eris. Sed Soli quoq; Justitiæ addis Lunam, Clementiæ, lenitatis & moderationis, quæ omnia leniunt, temperant, noxios eripiunt, & servatum eunt eos ipsos, qui se perdunt. Nam qui vult amari, & honorari, is benignitate ac Clementiâ Imperium & potestatem datam temperet. Malis enim invenisse justâ lenitate, quam nimiam severitate fecisse bonos & morigeros. Quemadmodum nullâ re Serenissimus Rex Tuus ad Deum, & huic proximum, Patrem suum Augustum Cæsarem, propius accedit, quàm salute hominibus & Subditis suis, datâ & posthac dandâ: ita Tu hâc in re, Regem Tuum & Dominum imitando, omne laudis punctum auferes.

Quam-

13  
Quamobrem, ut tandem finem faciam huic Panegyricæ Laudationi seu Disertationi, votis, pro Tuâ, *Præfeste Optime*, salute, incolumnitate, felicitate administrationis, & diuturnitate vitæ susceptis, nuncupatis & solutis, finem faciam, ac quasi gemmâ hanc opellam obfignem; DEUM ipsum, omnis Imperii Satorem & Statorem, universorum & singulorum, in publicâ Solennitate Ordinum congregatorum jussu & exemplo precor, obsecro, obtestor, ut Tibi hanc mentem juris divini & humani intelligentem, Cæsari Augusto, Regiq; Inclito obedientem, Patriæ benevolentem & benecupientem, cœlitus inditam conservet, confirmet & perpetuet, ac Te Majoribus Tuis parem, aut etiam Superiorem, rerum Patriæ providum, Justitiæ tenacem, clementiæ lenitati moderationiq; asvetum, constantem & imperterritum in periculis, ac offensionum pro utilitate publicâ sustinendorum impavidum præstet, & continuet. Hæc certè in animis Ordinum & Universi Populi æterna erunt templa, pulcerrimæ effigies, & mansuræ, ac statuæ stabilitæ constabunt, in quæ nihil possint invidia, odium, aut sinistra posterorum judicia moliri: ac ita seræ posteritati bonâ fide narratus & traditus, omnibus Gentibus & seculis, eris


*Notus & Eois Hesperiusq; plagis.*

ANNUE REX REGUM, VOTISQUE  
ALLABERE NOSTRIS!

I. Illustris.

I.  
*Illustrissimo Domino,*  
*Domino*  
**JOHANNI HERTWIGIO,**  
 Sacr. Rom. Imperi Comiti de Nostitz,  
*Supremo Bohemica Cancellario,*  
 Legato ad Silesiam Casareo  
 L. M. Q.

I.  
*Ad Patriam.*

 Rdua præsumis, quod Cancellarius ad Te,  
 Qui ratio est Aulæ, mittitur, ô Patria.  
 Mitia præsumis: quod Cancellarius ad Te,  
 Qui Tuus Indigena est, mittitur, ô Patria.  
*Filius ad Matrem Venit à Patre Casare missus;*  
*Absq; salute Tibi Talis adesce nequit.*

II.  
*Antequam actum, peractum.*

Ad nos Nostitius, dum Gaschiniusq; paratur;  
 Nec non & Comitum Lesskii ille Comes,  
 Nostram, Cæsar ait, Populiq; urgete Salutem;  
 Reddite mandatum. Quod jubet, intus habet.  
*Illius Populi qui curat agitq; Salutem,*  
*Omnibus est aliis anteferenda Salus.*

III.  
*Ad Illustrissimum Comitem.*

Inclute Borschita Succesor dignior atq;  
 Quo Borschita, sequi quem grave, Major erat.  
 Cur ades amplecti Proceres? amplectere vero.  
*Austriacâ invenies cuncta calere fide.*  
 Cæsaris offertur per Te Clementia nobis.  
 Reddimus hos animos. Quod super, ante tenet.

II. Illu-

II.  
*Illustrissimo Domino,*  
*Domino*  
**OTTONI L. B. NOSTITIO,**  
 Ducatum  
 Svidnicensis & Javorensis  
 Capitaneo Plenipotenti,  
 L. M. Q.

I.  
*In Effigiem.*

à Pictore & Oratore expressam.  
**P**ictor & Orator miscet adhibentq; colores:  
 Ille parat vultus, mentis at iste decus.  
 Hic est Nostitius Spectator dicit & omnis:  
*Cordis & oris iners sed speculamur opus.*  
 Virtus Mentis abest & vultus Gratia dia.  
 Cur? quia nullius tanta coloris eget.

II.  
*Ad Fratres Illustrissimos*  
*Baronem & Comitem.*

Ogemini Fratres. Hujus splendore Bohemos,  
 Illius Elysios vultus amenant agros.  
 Incolumes nostris sic illucescite rebus:  
 Fulget ut Austriaco sidus utrumq; polo.  
 Sic longum peramœna virescant regna Bohema:  
 Semper & Elysium nostrum erit Elysium.

III.  
*In Insignia.*

Illustrissimi Baronis.

Quæris Nostitius quare regat hosce Ducatus?  
 Est in Commisfis Cæsaris ALA sui:  
 VEXILLUM in Dubiis: in Duris nobile CORNU:  
 In Consultandis ANGULUS è tripode:  
 PISCIS in arcanis: in agendis rebus APRI DENS.  
 Qui scis? hoc Clypeus, plura sed AULA refert.  
 Dan. Czepco.



# ORATIO PARENTALIS

qua

## MEMORIAM

GENEROSI, STRENUISSIMI  
ac SAPIENTISSIMI

VIRI

# DN. GABRIELIS NÜTZELII

AB ET IN SONDERSPÜHL,

Illustris REIP. NORIMB. Senatoris

Duumviri summè de patria  
universa meriti,

in ACADEMIA ALTDORFINA

immortalibus ab Eodem beneficiis & ornamentis  
aucta

die xxx. Maji A. C. ciccicLXXXVII

veneratus est

MAGNVS DANIEL OMEIS,  
Ethic. & Eloqv. Prof. Publ.

Literis HENRICI MEYERI, Vniversit. Typographi.